


Google

Becker - Sophocles - 1888.



SOPHOCLES

QUEMADMODUM SUI TEMPORIS RES PUBLICAS AD DESCRIBENDAM HEROICAM AETATEM ADHIBUERIT.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Rudolfus Becker

GERNSHEMIENSIS.

GISSAE

TYPIS GUILELMI KELLER

MDCCCLXXXVIII.

Si quis poëta tractandam sibi sumit materiam ex iis temporibus repetitam quorum mores vetustate sint oblitterati, summam in id debet conferre operam, ut remotiora a sui saeculi moribus ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodet: quod si neglexerit, nemo certe eius opere delectabitur nisi forte quis erit accuratius eruditus rerumque antiquarum peritior qui vetustos illos hominum mores mente possit repetere. Quam normam cum aliis poëtarum generibus tum poëtis tragicis qui non contenti pristinorum temporum homines resque ab iis gestas litteris mandasse ipsos antiquos homines quasi ab inferis excitatos in scenam producant, ita ut res pridem actae tanquam iterum ante spectatorum oculos agi videantur, bene observandam esse facile intellegitur. Ac praecipue sine dubio eius rei ratio erat habenda Atticis poëtis tragicis: quibus nemo unquam poëta aut potuit aut debuit esse, ut ita dicam, popularior. Nam cum ludi scenici apud Athenienses pertinerent ad sacra sollemnia quibus universa multitudo et urbana et agrestis intererat, fabulae ita debebant esse comparatae, ut rebus in scena actis pariter omnium animi delectarentur atque percellerentur. Atque etsi et ipsarum fabularum plerasque et heroicae aetatis morum exteriora certe lineamenta ex Homeri cyclicorumque carminibus omnes fere cognoverant, tamen poëtas, si nunquam extra angustos illos cancellos egressi essent, vix responsuros

fuisse volgi expectationi satis perspicuum est : nam aliud est carmine epico res gestas describere, aliud tragoedia ipsos homines inducere agentes. Neque enim fieri poterat, ut res in scena actae, ex quibus praeter aurium oblectamenta ad mores formandos fructum quendam spectatores perciperent, altius animis eorum inhaererent nisi poëtae, quo quaeque res facilius intellegeretur, aut mores quosdam et instituta ex sua aetate in heroica tempora transferebant aut personis agentibus eorum notitiam passim adfingebant, ita ut eas saepius promerent sententias, quibus ab ipsorum vita cotidiana rerumque contemplatione repetitis spectatorum animi vehementius moverentur. Neque minus patriae amore poëtas saepius adductos esse, ut aut ipsas fabulas transformarent aut res quasdam ab heroica aetate alienas extrinsecus inferrent, inter omnes constat.

Quo fit, ut in Atticis tragoediis heroica tempora plus minusve sapiant Attici ingenii, similiter atque Plauti palliatis permulta eiusmodi quae ad mores Romanorum spectent videmus intexta. Nec tamen ex certo quodam poëtarum consilio haec omnia fluere necesse est statuamus : immo fortuito, ut Atticis tragicis Atticum, Plauto Romanum ingenium penitus erat insitum, talia persaepe in fabulas se insinuasse haud improbabile est.

Atque ut aut saepius aut rarius isti licentiae potest indulgeri, utque inserendi talia in fabularum contextum sua cuique, quod est eius ingenium, patet via ac ratio, ita inter tres illos Atheniensium poëtas tragicos summa in hac re videmus intercedere discrimina, cum Sophocles sequatur rationem quae longe distet et ab Aeschylea et ab Euripidea : quae tamen inter se non minus longe discrepant. Quae dissimilitudines si quaerimus unde oriantur, praeter ipsorum ingeniorum diversitatem primum quibus temporibus suas quisque tragoedias conscripserit, deinde qualis cuiusque in re publica gerenda fuerit condicio, maxime censeo esse respiciendum.

Unde profectus trium illorum proprietates paucis conabor adumbrare.

Atque Aeschylum si respicimus puerum et adulescentem vidisse patriam discordiis intestinis laceratam, corroborata aetate ipsum in mediis belli tempestatibus esse versatum, ex his temporibus ingenium evasisse robustius quam elegantius nemo opinor mirabitur. Atque cum non tantum in militia ille *Μαραθωνομάχης* pro patria caput suum summis obiceret periculis, sed etiam in pace, ut erat homo vere Atheniensis, rerum civilium semper esset particeps, ita totum se dedit rei publicae gerendae, ut etiam tragoediarum saepius vel prorsus ex suae aetatis rebus civilibus repeteret argumenta (velut Persarum) vel eiusmodi res tam perspicue significaret, ut quid sensus verbis subesset nemo Atheniensis posset dubitare (velut in Eumenidibus et passim in Supplicibus). Quas tamen significationes ita intellegendas esse quasi in certae cuiusdam factionis studia poëta voluerit volgus pertrahere, hoc dici non potest nisi et temporum rationi et ipsi arti Aeschyleae vis adfertur : immo patriae amore elatus eiusmodi considerationibus, ut veri leges et recti civibus imprimebat et ad pristinam virtutem et religionem eos revocabat, ita etiam maiorum magnitudine ante oculos posita in re publica eorum opiniones corrigere studebat : haec enim vera est artis Aeschyleae natura, ut fabulae sint quasi orationes ad cives habitae ad mores eorum formandos atque emendandos [1]). Quod elucet fieri non potuisse nisi aut antiquas fabulas ad sua studia transformando ad-

---

[1]) Cf. Ar. Ran. 1008 sq., ubi Aeschylus Euripidi concedit admirationem deberi poëtae

δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν,
τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.

Similiter v. 1056 idem profitetur se id studere, ut tanquam praeceptor cives doceat *τὰ χρηστά.* Cf. etiam quae in altercatione illa qua certat cum Dionyso (1021 sqq.) de singularum fabularum vi ac ratione Aeschylus disputat.

aptasset aut, id quod maioris est momenti, quae alieniora esse videbantur a civium suorum intellegentia, in eorum vicem Atticos substituisset et mores et sermones. Atque ut ipsarum rerum quas quam efficacissime cupiebat civium animis inculcare gravitatis sibi erat conscius, ita minime contentus passim suae aetatis mores breviter perstrinxisse nonnunquam eo processit, ut, cum copiosis orationibus sui saeculi prorsus iniceret ingenium, expressam praeberet et continuam vitae Atticae imaginem. In hac autem ipsa re vim illam et granditatem (*σεμνότητα*) qua Aeschyleum sermonem satis constat esse insignem[2]) aliqua ex parte videtur consistere : nam quae ex ipsorum vita rerumque contemplatione erant repetita, non minus simpliciter quam eloquenter civibus poterant sive explanari sive persuaderi.

Cuius artis Aeschyleae proprietatis qua aut ad heroicorum temporum statum spectatorum animis facilius imprimendum aut ad civium mores corrigendos suae aetatis mores et instituta nonnunquam in fabulis imitatus est, infra data occasione nonnulla adferentur exempla : hoc tamen loco unius rei mentio mihi est facienda, quae ad Aeschyleam artem cognoscendam non nihil videtur valere. Nam praeter eas quas modo adumbravi translationes apud Aeschylum invenimus aliud quoddam et simile genus condimentorum quod non minus ad ipsius poëtae tempora est referendum. Nam cum ut pro suo ingenio ita ob ipsorum temporum indolem Aeschylus plane vacaverit artificiis illis quae ad hominum ingenia quam subtilissime depingenda posteriore aetate solebant adhiberi, videmus eum, ut quasi sucum et sanguinem ingeniis iniciat, ab intima suorum aequalium vita privata et domestica admirabili cum saga-

---

[2]) Cf. Ar. Ran. 1057 sq., ubi Aeschylus invehitur in Euripidem his verbis :

ἀλλ', ὦ κακόδαιμον, ἀνάγκη
μεγαλῶν γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα τίκτειν.

citate singula nonnunquam mutuari lineamenta. Cuius rei amplissimum praebet exemplum oratio illa quae continetur Cho. 734—765: qua nutrix conquesta sortem Orestis quem putat esse mortuum, cum recordetur illorum temporum quibus ipsa Orestem infantem aluerit, v. 749 sqq. senili loquacitate enumerat omnia quae ei praestiterit officia. Quae depingit poëta coloribus tam nativis, ut illa quasi animata ante oculos nobis obversetur facileque quis possit putare ad nostram aetatem nutricis istud exemplar pertinere. Tantum autem vigorem poëtam non potuisse eius indoli inicere nisi eam in qua ipse cotidie versabatur vitam adhibuisset nemo opinor non intellegit.

Videmus igitur Aeschylum licentiae sua tempora in fabulis imitandi satis late atque aperte indulsisse*: id quod non minus quam ex ipsius indole videtur inde pendere quod cives vix emersos ex atrocissimi belli tempestatibus perspiciebat minus promptos fore ad remotiora mente capessenda quam quibus discendo atque exercendo augere vim percipiendi per temporum favorem licuisset.

Atque si ad reliquos duos animum convertimus, inter Aeschylum et Euripidem una res videtur convenire: utrumque enim facile perspicimus tragoedias docere non tam ipsius artis gratia quam ut motum quendam in spectatorum animis excitet. Nihilo tamen minus si in id ipsum diligentius inquirimus, et rei et formae summum inter eos intercedere discrimen dilucidissime apparet. Eius enim qua florebat Euripides aetatis longe aliud fuit ingenium quam Aeschyleae. Nam cum, quamdiu Aeschylus vivebat, non desineret res publica variis sollicitationibus conturbari, paulo post eius excessum, ubi Periclis potissimum opera conquievit a laborum continuatione, liberalibus studiis quae prae publicae salutis ratione usque ad illud tempus erant neglectae efflorescente sophistarum doctrina locus dari coeptus est. Quorum praeceptis, quippe quae cum ad vitae communis institutionem tum ad usum popularem et civilem

spectarent, multorum brevi animi sunt infecti, in his Euripidis qui cum natura novarum rerum esset appetens, summo cum vigore arripuit novam illam rerum contemplationem qua in nulla re posita nisi in mente ac ratione non modo de rebus divinis sed de universa hominum vita sentiendi quae velles continebatur libertas. Quae studia cum multum valerent ad Euripidis ingenium formandum, ab Aeschyli qui antiquorum morum maiorumque pietatis simplicitatis modestiae se praestiterat defensorem indole ac ratione longe eum recessisse consentaneum est. Itaque, ut sophistarum doctrina erat institutus, non satis habebat ex tradita fabularum materie tragoedias composuisse, sed, ut acute dicit Henricus Weil[3]), mythologiam conatus convertere in psychologiam omnia quae menti ac rationi parum videbantur respondere si non funditus eicere ad suum tamen arbitrium solebat commutare (cf. Ar. Ran. 971 sqq. 1052 sqq.). Deinde ad artem quod attinet hominum ingenia depingendi, eorum qui personas consueverant efferre ad sublimitatem quandam remotam a cotidianae vitae humilitate adeo non sequitur rationem, ut homines describat non tam *οἵους δεῖ* [*εἶναι*] quam *οἷοί εἰσιν*[4]) : quo fit, ut multis et narrationibus et colloquiis sapor quidam insit acerbus et quasi ironicus. Qua consuetudine usus quamquam saepius egregiae sagacitatis artisque minutiora ingeniorum lineamenta efficaciter delineandi praebuit exempla, haud ita raro tamen tragoediae dignitatem obscuravit.

Et quoniam de sagacitate Euripidis est sermo, aliud hoc loco mihi memorandum est quod non parvi momenti esse videtur ad eius proprietatem cognoscendam. Nam cum Aeschylus in mediis rebus civilibus semper ipse versatus non minus quodammodo tragoediis suis quam armis

[3]) H. Weil, Sept tragédies d'Euripide. Paris 1879. p. 675.

[4]) Quod ipsius Sophoclis iudicium exhibet Aristot. poët. c. 25. Cf. Ar. Ran. 959.

pro patriae gloria certarit, Euripidem satis constat quamvis remotum a vita civili acutissima tamen observatione quae in re publica gerebantur persecutum cupidissime captasse quaecunque ex suae aetatis moribus et institutis videbantur minus comprobanda, de quibus quid ipse sentiret in fabulis pronuntiaret civiumque curae commendaret. Quare non sublimiore consilio ductus, sed ut aurium blandimenta spectatoribus praeberet, saepe aut fabulas et veras quae tum gerebantur res prorsus permiscuit (ut in Andromacha Heraclidis Supplicibus quae tragoediae quid sibi velint nemo quin illius rei habeat rationem potest perspicere) aut singulis personis agentibus abusus est tanquam suarum ipsius de rebus quibusdam sententiarum interpretibus, ita ut tanquam comicus in parabasi ipse cum spectatoribus ac non fabularum personae quarum nihil iam est antiqui nisi nomina et vestitus inter se agere videantur. Itaque cum Euripidem videamus ne operam quidem dare ut heroicorum temporum mores imitetur, sed a sua aetate utique profectum et personarum et rerum descriptionem eius ingenio subiungere, mirum non est unamquamque ex fabulis Euripideis abundare significationibus quae ad Atheniensium mores et instituta sunt referenda. Nec minus ab adhortandi illa et praecipiendi ratione quam supra dixi poëtam didicisse a sophistis sermonis quaedam pendet proprietas. Nam cum morum emendationi summa cum alacritate incumbat civibusque novas suas opiniones omni ex parte studeat persuadere, excursibus admodum supervacaneis et qui non nisi laxe cum ipsis rebus quas tractaturus est cohaereant saepius cogitur rectum fabulae processum interpellare : res autem inauditas et a volgi intellegentia etiamtum alienas confisus spectatoribus comprobari non posse nisi omnibus argumentis adlatis fulciantur, non dubitat sophistarum rhetorumque more descendere ad disputationes ratiocinationesque admodum spinosas et ieiunas quibus elucet naturae artis tragicae vim adferri, praesertim

cum eiusmodi personis tribuantur quarum ab indole talia prorsus abhorreant : an quid inficetius esse videtur quam si quis heros sive servus tam siccas et molestas profert considerationes? Contra Aeschylus qui cum sophistarum doctrina vacaret adeo non novarum rerum erat cupidus, ut profectus ab eiusmodi rebus quas nemo ex spectatoribus non intellegeret maiorum virtutes laudibus extolleret, quamquam et ipse civium mores tragoediis studebat corrigere, tamen ad talia descendere minime debuit : immo res et ex heroica et ex sua aetate repetitas in unum quodammodo conferruminavit : quare quod ad sinceritatem attinet artis tragicae, superiorem haud dubie Euripide obtinet locum. Praeterea ne id quidem puto praetermittendum locos quos dicimus communes ab Aeschylo choro plerumque tribui ac non, id quod saepe apud Euripidem invenimus, inseri in dialogum : quare, cum canticis saepe non tam fabulae actio continuetur quam cogitationes suas de iis quae aguntur chorus pronuntiet saepiusque, ut fit, primariam rem egressus ad alia et magis generalia aberret, Aeschyleis illis sententiis actionis processum interpellari immerito quis dixerit : immo omnia eiusmodi apud Aeschylum intra fabulam sunt posita neque quidquam officiunt colori illi heroico quem ut cognoscimus in fabulis Aeschyleis ita in Euripideis desideramus.

Quae observationes ut paucis ita idoneis exemplis suo loco mihi erunt inlustrandae.

Quoniam igitur et Aeschyleae artis et Euripideae significasse mihi videor proprietates, restat, ut Sophocleam artem paucis adumbrem. Atque Sophocles quamquam eadem fere aetate qua Euripides florebat, ab eo tamen non minus longe distat quam ab Aeschylo. Cum autem, si quis dicit eum obtinere medium inter Aeschylum et Euripidem locum, hoc ipsum fortasse minus recte intellegatur, quaenam ratio inter Sophoclem et illorum utrumque intercedat, accuratius cogor explicare. Periclis enim aetate florentibus rebus Atheniensium cum tota civitas amplissimis pacis

muneribus frueretur, cum omnes artes tum tragicam novum sumpsisse impetum non ita mirum est. Itaque mutato temporum ingenio perbene respondet, quod ab asperitate illa ac severitate quam vidimus artis Aeschyleae fuisse propriam ad iucunditatem quandam et venustatem processum est, cuius Sophocleae fabulae satis idonea praebent exempla. Accedit quod Sophocles etsi publicis muneribus functus est, rerum civilium non erat peritior quam simplicissimus quisque paganorum, cuius rei testis est Ion Chius eius aequalis [5]) nec minus ipse Pericles, cuius de se iudicium Sophocles ipse memorat verbis ab Ione appositis *Περικλῆς ποιεῖν με ἔφη, στρατηγεῖν δ' οὐκ ἐπίστασθαι.* Itaque cum ea ipsa re Aeschyli quem supra diximus totum fuisse in rebus civilibus Sophocles plane esset dissimilis, res ipsius aetate gestas nihil fere valuisse ad Sophocleam artem excolendam consentaneum est, nedum certa quaedam consilia, quae pertineant ad eos qui tum in Atheniensium re publica aliquid agebant, ei possint insimulari: a factionum enim discordiis Sophocles procul erat remotus. Quod igitur A. Schöll [6]), ab Euripide sine dubio profectus, eumque secuti alii viri docti eo processerunt, ut non modo in omnibus fabulis Sophocleis pusillarum quae ad res tum Athenis gestas tenderent significationum magnum numerum investigarent, sed universas nonnunquam tragoedias, in his maxime Philoctetam, mutatis personarum nominibus conarentur convertere in historiam civilem, haec ratio ab omnibus certe qui, ut par est, prudenter et caute agunt in iudiciis ferendis iusto iure condemnatur.

Nihilo tamen minus fieri potuisse, ut opportunitate oblata fere sine consilio quasi inlaberentur quae ad res tum praesentes spectarent, concedere non dubito : saepius

---

[5]) ap. Ath. XIII, 604 D. Cf. etiam quas Plutarchus Per. 8 et Cicero de off. I, 40 exhibent narratiunculas : quae ex Ione haud dubie fluxerunt.

[6]) A. Schöll, Sophocles Leben und Wirken. Frankf. a. M. 1842.

enim eiusmodi sententias poëtae verbis spectatores videntur supposuisse, quamquam scribenti minime earum venerat in mentem.

Atque a novis illis sophistarum rhetorumque praeceptis quibus elegantissimus quisque Atheniensium paulatim corripiebatur, ne Sophoclem quidem potuisse prorsus se removere facile intellegitur. Sed tantum afuit, ut his studiis eo incumberet fervore quo Euripides Anaxagorae aliisque sophistis artisque rhetoricae magistris videtur se addixisse, ut quae ad artem excolendam videbantur esse utilia ab eorum doctrina mutuatus nimis ei indulgere felicissime evitaret. Primum enim cum recte intellegeret hominum animos tragoediis moveri non posse nisi personarum ingenia coloribus vere humanis essent depicta, quamquam personas quarum in Aeschyleis fabulis immanitas modum humani ingenii saepius excedebat ad humanam condicionem redegit, tamen neque usquam nimis saturis coloribus usus est ad vigorem ingeniis iniciendum neque vitae cotidianae humilitatem imitatus de heroum gravitate et dignitate detraxit. Deinde cum in Aeschyleis fabulis aut obscuro quodam fato aut dei alicuius praesentia nodus et nectatur et expediatur, Sophoclem videmus quae in tragoediis aguntur non tam numini cuidam extrinsecus animos impellenti quam ipsorum hominum tribuere rationi et voluntati, et id salva deorum fide ac reverentia quam ab Euripide satis constat prorsus esse abiectam. Tum sermo Sophocleus quantopere nonnunquam a rhetorum arte pendeat facile conspicitur [7]. Quam enim facultatem disserendi rhetoricis exercitationibus sibi comparaverat, in controversias personarum saepe contulit, ita ut, quidquid ex utraque parte dici posset, expromerent. Ab Aeschyli autem, qui in eiusmodi disceptationibus breviter tantum adstrictis argumentis induxerat per-

[7]) Utor in hac praefationis particula observationibus M. Lechneri, qui „de rhetoricae usu Sophocleo“ (Berol. 1877) bene egit.

sonas ad singulas res separatim singula respondentes, disserendi tenuitate ac simplicitate adeo recessit, ut rhetorum usus dicendi ubertate compositas quasdam et artificio distinctas institueret orationes. Quam rationem res inventione rhetorica exornandi causasque ad similitudinem generis iudicialis tractandi exceptis Trachiniis cum in omnibus fabulis Sophocleis agnoscimus tum in recentissimis Philocteta et Oedipo Coloneo nec minus in Aiacis parte posteriore quam ob id ipsum aut a sene Sophocle aut ab alio poëta post eius excessum in eam quae nobis praesto sit formam esse redactam nonnulli viri docti, in his Bergk[8]) et O. Ribbeck[9]), non sine specie probabilitatis suspicati sunt. Itaque quamquam Euripideam rationem talia sapere haud immerito dicitur, tamen vitiosissima quaeque et aliena ab artis tragicae dignitate Sophoclem evitasse debemus concedere. Quem patet nunquam quasi ipsam actionem instituisse forensem, id quod in Phoenissis Troadibus Heraclidis Hecuba Oreste fecit Euripides, sed modice et prudenter dicendi illa facultate et copia esse usum. Nam „sedulo curat“, inquit Bergk (l. c. p. XXXVIII), „ut personae et in agendo et in loquendo servent dignitatem neque incidant in forensem illam loquacitatem qua Euripides gaudet.“ Euripides igitur cum ad fallaces dicendi artes delapsus verborum ut nitidiorum ita leviorum soleret promere ubertatem, Sophocles in re constituta semper versatus causas ita instituit, ut nulla nisi quae ad ipsorum certantium usum pertinerent argumenta adferret. Quibus disceptationibus quantopere spectatorum animi delectati sint, perbene intellegimus, si gaudium quoddam actionum iudicialium respicimus Atheniensium fuisse proprium, id quod ex comoediis Aristophaneis maxime cognoscimus.

---

[8]) Hall. allg. Litt.-Ztg. 1849, p. 1085. Comm. de vita Soph. p. XXXV.

[9]) Soph. u. s. Trag. p. 19.

Neque magis illa quam supra reprehendi Euripidis consuetudine qua sophistarum et suas ipsius sententias spinis partiendi et definiendi indutas novae aetatis iste buccinator spectatoribus conabatur probare, Sophoclem videmus fuisse infectum. Primum enim minime omnia quae deorum illi contemptores profitebantur ipse videtur comprobasse. Deinde cum multitudinem intellegeret etiamtum non maturam esse ad novas illorum opiniones tota mente percipiendas, malebat eiusmodi rerum nullam facere mentionem quam Euripideis illis uti ratiocinationibus quae longe abhorrere ab artis tragicae dignitate ei erat persuasum.

Sed ne quis putet Sophoclem, cum tragoedias doceret, nihil egisse nisi ut Atheniensium aures et animos delectaret, non minus ille quam Aeschylus et Euripides id studebat, ut civium suorum mores excoleret, nisi quod aliam secutus est rationem quae artis sinceritati magis ei videbatur respondere. Nam neque nimis forti ad res graviores spectatorum animis imprimendas usus est ratione neque ad sophistarum rhetorumque artificia confugit, sed et in rebus et in sermone suavitatem magis quam gravitatem secutus personas in scenam produxit instructas ingeniis vere humanis atque ita fecit agentes, ut quid probe aut prave fieret unusquisque ex spectatoribus sine ullo mentis labore posset diiudicare. Qua ratione quae in contrariorum ingeniorum efficacissima oppositione maxime erat posita Sophoclis fabulae ad mores Atheniensium emendandos nescio an plus quam illorum valuerint.

Atque ut quae huc usque de arte Sophoclea disputavimus respiciendo paucis complectamur, primum et temporum quibus poëtae ingenium conformabatur opportunitas et ipsius vita a rebus civilibus remotior aliquantum valuit ad sinceritatem artis tragicae servandam; deinde mediocriter tantummodo infectus sophistarum rhetorumque studiis a vitiis quae inde imminebant artem defendit. Unde

quamquam Sophoclem, cum magis quam illi ipsius artis gratia scriberet, a suorum aequalium vita et moribus facile apparet animum avertisse ad ipsius heroicae aetatis indolem quam tota mente repeteret, tamen qui prorsus nihil suspicatur inveniri in Sophocleis fabulis quod ad Atheniensium mores et instituta sit referendum, eum elucet versari in errore : immo haud mediocris etiam apud Sophoclem nobis occurrit talium significationum numerus. Nam primum Aeschylea ratione Atheniensium animi ita erant praeparati, ut tragoedia in qua nihil quod illuc spectaret usquam tangeretur vix posset cogitari : deinde Sophocles quamvis remotus a vita civili tamen adeo erat homo vere Atheniensis fautorque imperii popularis, ut non modo, id quod ei convenit cum Aeschylo et Euripide, oblata opportunitate patriam eiusque virtutes laudibus extolleret, sed praeterquam quod suae aetatis mores nonnunquam adhibuit ad res graviores spectatorum intellegentiae accommodandas, saepius quasi insciens sui saeculi ingenium et mores heroicis temporibus inspiraret. Quin etiam inveniuntur quamvis paucissimi in Sophocleis fabulis loci quibus novas quasdam et quae a volgari de quaque re opinione abhorreant sententias poëta videtur cum spectatoribus communicare : unde discimus, quamvis maxime operam dederit ut talia evitaret, tamen eum, ut erat homo suorumque temporum ingenio subjectus, non potuisse novae illius doctrinae cuius Euripides eloquentissimus fuit interpres vigori ac momento utique sese eripere. Sed praeterquam quod perraro eiusmodi sententiae quae Euripideam sine dubio sapiant rationem in Sophocleis fabulis occurrunt, eum videmus, cum minime id studeat, ut quaeque spectatoribus utique persuadeat, nunquam uti artificiosis illis et copiosis ratiocinationibus quae Euripidis supra demonstrari esse proprias.

Atque etiam in universum quam rationem Sophocles secutus est suae aetatis mores transferendi in heroicam, longe distat et ab Aeschylea et ab Euripidea. Nam cum

Aeschylus plerumque non satis habeat suae aetatis mores leviter tetigisse, sed quo maiorem rebus iniciat vim et gravitatem, sive continuis narrationibus sive copiosis orationibus soleat talia significare, Euripides prorsus a sua aetate profectus heroicorum temporum nullam ferre habeat rationem, Sophoclem videmus quantum potest heroicae aetatis mores tota mente repetere adeoque servare integros, ut non modo passim dumtaxat singula lineamenta singulasve locutiones a sua aetate repetat, sed artificiosissime studeat ea adaptare sententiarum continuationi et orationi ita intexere et recondere, ut aliquid insigne latere obiter legentem plerumque fugiat. Ipsum autem numerum Sophocleorum eiusmodi locorum paene evanescere prae ingenti eorum mole quae occurrit perlegentibus quamlibet fabulam Euripideam ex utriusque proprietate facile apparet.

Atque ob id ipsum quod apud Sophoclem illae significationes minutiores esse videntur et minus conspicuae, operae pretium mihi visum est in hanc poëtae proprietatem accuratius inquirere : unde aliquantum fructus redundaturum ad artis Sophocleae naturam cognoscendam et integris fabulis et perditorum fragmentis etiam atque etiam lectitatis atque indagatis mihi persuasi. Cum autem congestis tantummodo quae eo viderentur spectare locis Sophocleis me nihil fere profecturum esse haud ignorarem, haud inepte fecisse mihi videor quod et Aeschylea exempla et Euripidea idoneis locis attuli quo luculentius Sophocleae artis proprietas inlustraretur.

Ac rem ita institui, ut a tribus illis quae Athenis versabantur hominum generibus profectus primum a civium, deinde ab inquilinorum, tum a servorum condicione ac moribus quae in Sophocleis fabulis viderentur esse repetita, deinceps respicerem. Quae tripertita materiae divisio ut simplicissima ita aptissima mihi visa est. Nam praeterquam quod distrahendo eiusmodi materiam in plures particulas aliquantum sine dubio officitur totius disputationis

perspicuitati, significationes illas elucet pertinere non tam ad abolitas quasdam leges et instituta quam ad ipsius vitae usum et eius in qua ipse poëta versabatur et cuius tres illae hominum classes pro sua quaeque parte erant participes. Neque quidquam obstat quominus, si quid minus arte cum tribus illis hominum generibus videbitur cohaerere, rerum illi quae tam simplex sit divisioni sine ulla difficultate subiungatur.

Atque ad eos quod attinet qui de hac Sophoclis proprietate adhuc verba fecerunt, etsi Sophoclearum fabularum editores passim eiusmodi significationes denotarunt, nemo tamen continuam de his rebus instituere conatus est disputationem nisi C. Goecker qui a. 1866 edidit dissertationem quae inscribitur „Sophocles quomodo rerum sui temporis statum in heroicam aetatem transtulerit.“ Cuius in altera parte qua agitur „de rebus publicis“ ex iis quae his quaestionibus mihi erant subicienda compluria sunt congesta. Nam duobus capitibus quorum alterum „de rei publicae forma“, alterum „de rei publicae institutis“ inscribitur profectus ille ab Homero studet demonstrare suorum aequalium mores et instituta heroicis temporibus Sophoclem saepius adfinxisse. At ita satis habet ipsas inter Homerum et Sophoclem discrepantias proposuisse, ut quamnam in his translationibus inserendis Sophocles sequatur propriam viam ac rationem non magis curet quam quatenus suis ipsius de rebus quibusdam sententiis humanioribus videatur in fabulis indulgere. Itaque cum neque Aeschyleae rationis neque Euripideae, id quod omitti non debere satis mihi videor demonstrasse, ullam habeat rationem, eandem denuo rem aggredi minime opinor supervacaneum est. Accedit quod multa quorum mentio fieri debuit Goeckerus aut non potuit suae rerum divisioni subiungere aut prorsus praetermisit : quare hanc commentationem spicilegium quoddam vel epicrisin haud immerito adpellaveris.

I. De civibus.

Antiquissimam rei publicae formam si respicimus fuisse societatem gentiliciam, cum in omnibus Graeciae civitatibus tum Athenis haud miramur multas occurrere iuris publici formas atque instituta quibus vetustus ille rerum status quasi pergat vigere. Unde pendet quod cives divisi in gentes et phratrias magnae instar familiae uno omnes utuntur patrio foco qui est in prytaneo. Quo ad corroborandam rempublicam fama ferebat instituto a Theseo factum esse illum *συνοικισμὸν* (Thuc. II, 15), quo singulae civitates quarum sui quaeque iuris usque ad illud tempus vixisset in unam conglutinarentur. Itaque in Oedipo Coloneo etsi Theseus est *ὁ κατ' ἄστυ βασιλεὺς* (67), *πατρῷον ἄστυ γῆς ἔχει* (297, quorum cf. in Ant. 1083 locutionem *ἑστιοῦχος πόλις*), nihilo tamen minus Coloni pagi cui illis locis *ἄστυ* opponitur incolae sunt *ἄνδρες πολῖται* (1578) vel *ἀστοὶ* (1528). Atque ut suam quaeque gens ex deo quodam vel heroe, cuius omnes gentiles fruuntur tutela, ducit originem, ita non modo universa civitas veneratur deos paternos (*πατρῴους* Ant. 838. El. 411. Phil. 933. OC 756. fr. 517, *δημούχους* OC 458, *ἐγχωρίους* El. 67. Trach. 183), sed peculiares sunt dii gentiles tanquam vindices ingenuitatis. Quas partes Athenis agebant phratriarum patroni, *Ζεὺς ἕρκειος* (cf. Ant. 450. 487, ubi *Ζ. ἕρκ.* prorsus est pro familia vel consanguinitate. 658, ubi *Ζ. ξύναιμος* idem valet) et *Ἀπόλλων πατρῷος*. Atque postquam Solo aliquantum detraxit de auctoritate gentilicia, Clisthenes nova sua civium partitione a fundamentis eam disiecit, ne tunc quidem civium ingenuitatem phratriae desinebant curare. Neque enim cuiquam civitatis beneficiis frui licebat nisi legitimo utrimque matrimonio natus deorum curialium cultus erat particeps. Atque festo illo die quo infantium sollemnis fiebat in *φρατερικὸν γραμματεῖον* inscriptio hostiam constat curialibus in cenam esse datam quacum Andromedam comparari in Andr. fr. 132, 1 :

αἱμόρρυτον κούρειον ἠρέθη πόλει·

cum proprie voce *κούρειον* illa hostia significetur, Ellendtio (lex. Soph. s. v. *κούρειον*) concedimus.

Peregrini autem publice civitate donati (*δημοποίητοι, κατὰ ψήφισμα πολῖται*) cum ipsi phratriis non adscriberentur, plena civitate adeo non utebantur, ut contra aut archontatum aut sacerdotia petere nemini liceret quin civis esset ex avis (*Ἀθηναῖος ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας* Poll. 8, 85). Quod recordati quid miramur tanquam proverbio hominem obscuro loco natum *ὃς οὐδὲ εἰς τρίτον πάππον ἀνενεγκεῖν ἔχει τὸ γένος* (Plat. Theaet. 174 E) summo cum contemptu adpellari? Unde nescio an pendeat usus locutionis *τρίδουλος* in OR 1063 :

σὺ μὲν γὰρ οὐδ' ἐὰν ἐγὼ 'κ τρίτης
μητρὸς φανῶ τρίδουλος, ἐκφανῇ κακή,

ubi fingit Oedipus se esse servum *ἐκ τριγονίας*, i. e. humillimo loco natum : quo in convicio quanta insit vis atque acerbitas, comparata illa quae Athenis valebat notione *τριγονίας* perbene inlustratur.

Atque spurii illi (*νόθοι*) qui ex cive concubina erant nati non modo in iure familiari sed etiam in iure publico, nisi a patre in phratriam erant adoptati, inferiore quam *γνήσιοι* usi esse videntur condicione : neque enim quisquam praeter *δημοποιήτους* in *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* inscribebatur quin phratriae antea esset adscriptus[10]). Nec magis, si quis Atheniensis peregrinam duxerat in matrimonium, filios inde oriundos consentaneum est civitatis fuisse participes, cum tale matrimonium ne ipsum quidem haberetur pro legitimo. Itaque cum eandem fere utrorumque origo in iure publico vim haberet, locutio *νόθος* quamvis iuris familiaris propria in iuris publici sollemnem ser-

[10]) Scio esse qui spurios censeant etsi non phratriis tamen pagis adscriptos eoque cives fuisse : quam sententiam ut meam faciam non possum a me impetrare.

monem paulatim translata est, ita ut non raro sit pro cive ambiguae originis vel qui ab altera parte sit ξένος. Atque cum, quo celerius generis existimatio evanescebat, eo saepius rigidi illi civitatis cancelli furtive transilirentur, a Pericle tradunt legem esse perlatam vel resuscitatam, ne quis civitatis esset particeps nisi utrimque ingenuus [11]). Nihilo tamen minus insequente aetate maximeque in bello Peloponnesiaco plures pluresque quorum origo ab altera parte non erat legitima ingenuorum civium ausi sunt ferre personas. Semper tamen his ipsis temporibus Athenienses sibi conscios fuisse ambigui cuiusdam et non legitimi quod inesset iniusto illi civitatis generi, praeterquam quod bello confecto illa lex ab Aristophonte denuo rogata est, inlustratur nonnullis locis Euripideis: quibus non minus quam omnibus aliis quos patet tendere ad mores Atheniensium verum ille suae aetatis statum haud dubie imitatur, praesertim cum in ipsa fabula res Atheniensium agantur. Nam Ion. 591 sqq. Ion adulescens cum exponat patri cur dubitet Athenas se conferre, primo loco memorat quanta ξενίᾳ suae et νοθείᾳ apud Athenienses insit ignominia, his verbis

ἵν' ἐσπεσοῦμαι δύο νόσω κεκτημένος,
πατρός τ' ἐπακτοῦ καὐτὸς ὢν νοθαγενὴς
καὶ τοῦτ' ἔχων τοὔνειδος . . . .

Athenienses autem quid sentirent de eiusmodi matrimoniis haud inscium sese ostenderat, cum Creusae coniugem esse (290)

οὐκ ἀστὸν, ἀλλ' ἐπακτὸν ἐξ ἄλλης χθονός

valde miratus interrogaret (293)

καὶ πῶς ξένος σ' ὢν ἔσχεν οὖσαν ἐγγενῆ;

Luculentissime autem in Atheniensium republica, si quis

---

[11]) Satis mirum esse imperii popularis alterum quasi conditorem ac vindicem in hac re tam fortiter popularibus studiis offecisse nemo negabit: at neque de Philochori fide licet dubitare neque in Dunckeri (Sitzb. Preufs. Ak. 1883, 935 sqq.) explicatione acquiescere possumus.

μητρόθεν sit *ξένος*, civitatis esse expertem idem exprimit his verbis (670 sqq.)

εἰ δ' ἐπεύξασθαι χρεών,
ἐκ τῶν Ἀθηνῶν μ' ἡ τεκοῦσ' εἴη γυνή,
ὥς μοι γένηται μητρόθεν παρρησία.

παρρησία enim summum est bonum et quasi insigne ingenuorum civium (v. infra p. 40). Praeterea memoro Phoen. 336 sqq. ubi queritur Iocasta quod Polynices hospitam duxerit in matrimonium

σὲ δ', ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ κλύω
ζυγέντα παιδοποιὸν ἁδονὰν
ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν,
ξένον τε κῆδος ἀμφέπειν,
ἄλαστα ματρὶ τᾷδε Λα-
ΐῳ τε τῷ παλαιγενεῖ
γάμων ἐπακτὸν ἄταν

et Suppl. 219 sqq. quibus Adrastum vituperat Theseus quia, cum filias hospitibus in matrimonium daret, veterem gentis spendorem ipse detrectaverit,

οὐ σοφὸς γεγώς,
ὅστις κόρας μὲν θεσφάτοις Φοίβου ζυγεὶς
ξένοισιν ὧδ' ἔδωκας, ὡς ζώντων θεῶν,
λαμπρὸν δὲ θολερῷ σῶμα συμμίξας τὸ σὸν
ἥλκωσας οἴκους· χρῆν γὰρ οὔτε σώματα
ἄδικα δικαίοις τὸν σοφὸν ξυμμιγνύναι,
εὐδαιμονοῦντας δ' ἐς δόμους κτᾶσθαι φίλους.

Atque eiusmodi morum Atheniensium significationes quae tam aperte et sine ullis ambagibus fabulae sermonibus immisceantur perinde ac si res in fabula actae ad ipsius poëtae aetatem pertineant, sicut Euripideae artis proprias ita a Sophoclea prorsus alienas esse quis est qui nesciat? Neque tamen apud Sophoclem desunt eiusdem rei vestigia quae accuratius persecuti eandem illam de matrimonio non legitimo et de spuriorum publica condicione invenimus sen-

tentiam. Primum enim quod Electram Clytemnestrae adulterae cum alia facit exprobrantem tum hoc (El. 589 sq.)

τοὺς δὲ πρόσθεν εὐσεβεῖς
κἀξ εὐσεβῶν βλαστόντας ἐκβαλοῦσ᾽ ἔχεις,

multum dicit interesse inter γνησίους et νόθους : nam cum illi legitimo Agamemnonis et Clytaemnestrae matrimonio (ἐξ εὐσεβῶν) oriundi et ipsi sint legitimi (εὐσεβεῖς), quos adulterans cum Aegistho editura sit partus, hos ut νόθους fore δυσσεβεῖς. Deinde si, qualem Teucri qui ex barbara captiva natus erat in Aiace condicionem delineaverit, attentius consideramus, etiam inde ad illam rem probandam aliquid fructus videtur redundare. Atque conviciorum quibus Atridae in Teucrum invehuntur ratione habita elucet nihil profici : quid quod usque eo fidem superiaciunt augendo, ut compluries servum vel nihil esse illum fingant (cf. Ai. 1228 sqq. 1235. 1259. cf. 1289, ubi ipse Teucer summa cum acerbitate repetit illud convicium quod neque ad heroicae neque ad Sophocleae aetatis ingenium potest referri), hoc facile intellegitur nihil esse nisi signum ingenii tyrannici, quod et ipsum poëta describere solet a suorum aequalium de tyrannis opinione colores mutuatus [12]). Tyranni autem omnes suo arbitrio subiectos opinantur ipsorum esse servos, non modo nothos (ut Atridae praeter

---

[12]) De tyrannorum apud Sophoclem descriptione Goecker p. 32 sq. fusius disputavit. Cuius observationibus nil habeo quod addam nisi quod p. 20 sqq. poëtam studet demonstrare tanta pravitate et crudelitate Atridarum ingenia instruxisse eo consilio adductum, ut ipse suum adversus Doricum nomen, i. e. Lacedaemonios odium professus civium auribus blandiretur, hoc perverse iudicatum esse mihi persuasi : nam maxime cavendum est, ne ea quae tragoedia ipsa ingeniorumque oppositio poscit populorum aut hominum laudes convicia similia in temporis cuiusdam favorem composita esse existimemus. Immo videmus Sophoclem talia utique dedignari. Goeckeri illam rationem reprobavit etiam R. Haupt (Die äufsere Politik des Euripides, Progr. Ploen 1877, p. 14). — In locorum quibus vox τύραννος apud Soph. invenitur enumeratione requiritur fr. 711.

Teucrum Eurysacem cuius Tecmessa queritur *δουλίαν τροφὴν* 499 et *δουλείας ζυγὰ* 944 quae sibi et puero ab Atridis Aiace defuncto immineant), sed etiam liberos et ingenuos (ut Creon in Ant. 479 Antigonam fingit esse servam). Multo autem maioris momenti sunt quae de sua condicione ipse Teucer sentire videtur. Qui etsi Atridis demonstrat se esse *ἄριστον ἐξ ἀριστέοιν δυοῖν* (1299), semper tamen sibi conscius esse videtur, quod ad ius attineat familiare, Aiace fratre propter *νοθείαν* se esse inferiorem: quod efficitur ex v. 1008 quo cum dicat

ἦ πού με Τελαμών, σὸς πατὴρ ἐμός θ' ἅμα,
δέξαιτ' ἂν cet.

patrem utrique esse communem, cum, quod ad matrem pertineat, Aiax ut *παῖς γνήσιος* priorem obtineat locum diserte videtur enuntiare. Deinde quod 1012 sqq.

ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακὸν
τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον . . . . .

Telamonis patris praesagit opprobria ad *νοθείαν* spectantia concluditque hanc expositionem verbis

τοιαῦτα μὲν κατ' οἶκον (1021),

haec omnia haud immerito ad Atheniensium mores videntur referri, praesertim cum poëtam in hac fabula videamus temporum ratione omissa id studere, ut Salaminios artissimo consanguinitatis vinculo ostendat ipsis heroicis temporibus cum Atheniensibus fuisse coniunctos[13]). Haec autem ratio morum Atheniensium lineamenta artificiosissime fabulis intexendi quantum distet ab Euripideis illis quarum supra mentionem feci translationibus copiosius exponere certe supervacaneum est.

Atque ad eos quod attinet qui *πατρόθεν* non erant

---

[13]) cf. 202. 861. 1218 sqq. Goecker p. 24. Iusto subtilius me quidem iudice Wilamowitz (Kydathen p. 228) in v. 861 verba *τὸ σύντροφον γένος* voluit referri ad *φυλὴν* illam Atheniensium cui nomen erat *Αἰαντίς*.

legitimi, eorum in legibus Atticis ne ratio quidem habetur propterea quod a civitate longe erant remoti. Nam cum omnium iudicio paterna origo praevaleret [14]), peregrinorum filii utique erant peregrini, servorum servi. Quod genus si respicimus vocari *τοὺς ἐκ πολίτιδος* vel *τοὺς ἀπὸ γυναικῶν* (Ar. Pol. III, 3 [5 Bekk.]), quanta insit acerbitas locutioni *παῖς τῆς μητρὸς* in El. 366 facile dispicitur [15]). Fingit enim Electra sororem non esse ingenuam Agamemnonis filiam (*πατρὸς πάντων ἀρίστου παῖδα*), sed ex matris nequissimae adulterio oriundam eoque *νόθην* indignissimam. Aptissime cf. Eur. El. 933 sqq.

Atque haec omnia quod summo iure dicimus fluere ex poëtae ipsius aequalium de spuriis iudicio, hoc ipsum non minus quadrat ad aliam quandam rem de qua, cum haud dubie cum illa cohaereat, hic videtur locus esse pauca dicendi. Sophoclis enim temporibus perfecto imperio popu-

---

[14]) Hoc positum est in volgari illa opinione qua ad liberos procreandos patrem matre plus valere omnibus persuasum erat. Cuius rei, quam Aeschylus Eum. 657 sqq. Apollinem facit exponentem, apud Sophoclem invenimus vestigia Ant. 569. OR 1257. 1485, quibus matrem significatur nihil esse nisi *ἄρουραν* cui semen mandetur. Unde efficitur, ut etiam pietas maior quaedam patri quam matri a liberis videatur deberi. Quod si respicimus, bene intellegimus qui fiat, ut Heracles Trach. 1064 sq.

ὦ παῖ, γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς,
καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς πλέον

Hyllum filium moneat, ne paternum nomen materno postponat, sed omissa matris pietate patri morem gerens Iolen ducat in matrimonium (1222 sqq.). Ac filius omnibus dubitationibus (1232 sqq. 1245) abiectis 1249 sqq.

τοίγαρ ποιήσω, κοὐκ ἀπώσομαι, τὸ σὸν
θεοῖσι δεικνὺς ἔργον. οὐ γὰρ ἄν ποτε
κακὸς φανείην σοί γε πιστεύσας, πάτερ

patris voluntati pollicetur se cessurum, id quod nemo sibi possit vitio vertere quamvis violata erga matrem pietate.

[15]) Hic locus Aristotelicus plane sufficere mihi videtur ad usum locutionis *παῖς μητρὸς* inlustrandum : Schneidewini certe explicatio multo longius videtur esse repetita.

lari nobiles ex antiquis gentibus oriundi quamquam neque plus in re publica quam plebes propter *ἰσονομίαν* valebant et exiliis bonorumque iactura per tumultus civiles valde erant debilitati, nihilo tamen minus sive propter virtutem civilem (ut Pericles et Alcibiades) sive propter litterarum artiumque exercitationem (ut Aeschylus et Thucydides) sive propter divitiarum magnitudinem (ut Nicias) ab omnibus fere honorati etiamtum in re publica gerenda aliquantum valebant. Quam autem inexhaustae fuerint eorum opes, ex machinationibus illis satis apparet quibus sub finem maxime belli Peloponnesiaci populare imperium studebant dissolvere. Itaque Sophocles quod saepius summam vim et auctoritatem generis nobilitati tribuit, cuius tanquam propria sit morum et animi generositas, ut Ai. 1093 sqq.

οὐκ ἄν ποτ', ἄνδρες, ἄνδρα θαυμάσαιμ' ἔτι,
ὃς μηδὲν ὢν γόναισιν εἶθ' ἁμαρτάνει,
ὅθ' οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι
τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔπη,

et Alet. fr. 91

ἀλλ' εἴπερ εἶ γενναῖος, ὡς αὐτὸς λέγεις,
σήμαιν' ὅτου τ' εἶ χὠπόθεν. τὸ γὰρ καλῶς
πεφυκὸς οὐδεὶς ἂν μιάνειεν λόγος

et fr. 94

δεινόν γε τοὺς μὲν δυσσεβεῖς κακῶν τ' ἄπο
βλαστόντας, εἶτα τούσδε μὲν πράσσειν καλῶς,
τοὺς δ' ὄντας ἐσθλοὺς ἔκ τε γενναίων ἅμα
γεγῶτας εἶτα δυστυχεῖς πεφυκέναι.
οὐ χρῆν τάδ' οὕτω δαίμονας θνητῶν πέρι
πράσσειν· ἐχρῆν γὰρ τοὺς μὲν εὐσεβεῖς βροτῶν
ἔχειν τι κέρδος ἐμφανὲς θεῶν πάρα,
τοὺς δ' ὄντας ἀδίκους τοῖσδε τὴν ἐναντίαν
δίκην κακῶν τιμωρὸν ἐμφανῆ τίνειν,
κοὐδεὶς ἂν οὕτως ηὐτύχει κακὸς γεγώς [16]),

[16]) Horum verborum et forma et sententia Euripideam sapit rationem. Primum enim tam verbosa et ieiuna ratiocinatio ab ingenua arte

ab aequalium suorum opinione non ita longe recedit. Eodem pertinet adiectivorum *εὐγενής* et *γενναῖος* translatio, quibus quamlibet virtutem, velut generositatem fortitudinem honestatis studium prudentiam misericordiam pietatem sinceritatem, quae quoque loco est sententia, videmus significari (*εὐγενής* Ai. 479 cf. Phryg. fr. 649. El. 989. 1081 sqq.; Ai. 523; El. 257; Phil. 874 cf. 260. 96. Ai. 437. El. 589. OC 937. Phil. 1310 sqq. Alet. fr. 92; OR 1225, ubi glossa *γνησίως* usus cum Hartungio al. pro *ἐγγενῶς* lego *εὐγενῶς*; Alead. fr. 100. 105, ubi contrarium *ἀγενής* est pro *κακός*. — *γενναῖος* Ai. 938. El. 287. Phil. 51. 475 sq. 1068. OR 1469 cf. 1510. OC 8. 569. 1042. 1636. 1640. Alet. fr. 91. 94. Ion. fr. 298 b).

Quibuscum si comparamus Tyron. fr. 583 a

πολλῶν δ' ἐν πολυπληθίᾳ πέλεται
οὔτ' ἀπ' εὐγενέων ἐσθλὸς οὔτ' ἀχρείων
ἄπο λίαν κακός· βροτῷ δὲ πιστὸν οὐδέν,

hanc sententiam cum illis non modo non concinere, sed prorsus iis contrariam esse necesse est concedamus. Atque Ter. fr. 518

ἓν φῦλον ἀνθρώπων μί' ἔδειξε πατρὸς καὶ ματρὸς ἡμᾶς
ἁμέρα τοὺς πάντας· οὐδεὶς ἔξοχος ἄλλος ἔβλαστεν ἄλλου.
βόσκει δὲ τοὺς μὲν μοῖρα δυσαμερίας, τοὺς δ' ὄλβος ἡμῶν,
τοὺς δὲ δουλείας ζυγὸν ἔσχεν ἀνάγκας

idem poëta non dubitat aperte pronuntiare, cum omnibus hominibus aequalis sit natura, nemini propter generis splendorem deberi superiorem locum. Quid? quod Alead. fr. 108

ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει,
ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν [17])

Sophoclea abhorret; deinde quod de deorum iustitia poëta videtur dubitare, minimè respondet pietati illi ac religioni qua scimus eum patrios deos esse veneratum. Multo tamen modestius haec dicta esse quam Eur. Mel. fr. 508 aut Phrix. fr. 829 facile dispicitur.

[17]) Haec referenda esse videntur ad fr. 107

παῦσαι· καταρκεῖ τοῦδε κεκλῆσθαι πατρός,

propriis vocibus *γνήσιος* et *νόθος* usurpatis spurios, cum natura idem valeant atque ingenui, si modo sint probi, eadem atque illos profitetur dignos esse condicione? Habemus igitur sine dubio apud eundem poëtam duas de eadem re sententias easque prorsus inter se contrarias. Quae discrepantia ut facile dissolvatur, Euripideae artis comparatio optimam praebet ansam. Euripidem enim sicut suae aetatis vitam cotidianam aequaliumque de variis rebus sententias in fabulas suas videmus transferre, ita persaepe ipsius de aliquo Atheniensium instituto, quae longe abhorreat a volgari, in fabulis deprehendimus sententiam quam rationibus adlatis civibus studet commendare. Cuius rei si recordamur, similem locos illos Sophocleos habere vim luce fit clarius. Nihilo tamen minus quantum intersit inter Sophocleam artem et Euripideam, hoc ipso exemplo optime inlustratur. Primum enim ad numerum quod attinet, Sophoclea eiusmodi exempla perpauca videbimus paene evanescere prae mole similium quae apud Euripidem inveniuntur locorum. Deinde Sophocleae sententiae admodum modeste prolatae plane vacant siccis illis ratiocinationibus quibus Euripides velut Alex. fr. 53 eandem sententiam utique spectatoribus studet persuadere. Ex reliquis locis

---

εἴπερ πέφυκά γ᾽· εἰ δὲ μή, μείων βλάβη.
τό τοι νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρατεῖ;

unde tamen haec ipsa ex poëtae sententia fluere minime debet concludi. Neque enim fieri potuit, ut idem poëta quem cum in vita tum in fabulis summam legum reverentiam videmus prae se ferre, hoc uno loco quasi ludibrio haberet legum auctoritatem. Nec magis haec ironice dicta possunt esse : nam cum in Euripideis fabulis multi eiusmodi occurrant loci quibus cum ironia quadam singulae res Atheniensium videantur perstringi, apud Sophoclem, ut est poëta gravissimus, nequiquam talia quaerimus. Immo vero equidem puto poëtam, ne videretur fraudulentam spuriorum civitatem comprobasse, ob id ipsum illorum verborum (fr. 107) procacitatem addita illa quae re vera sua erat generali sententia (fr. 108) quasi coërcuisse.

Euripideis[18]) quibus eadem humanior de spuriorum condicione continetur sententia praeter Ant. fr. 168

ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση,

Eurysth. fr. 738

μάτην δὲ θνητοὶ τοὺς νόθους φεύγουσ' ἄρα
παῖδας φυτεύειν· ὃς γὰρ ἂν χρηστὸς φύῃ
οὐ τοὔνομ' αὐτοῦ τὴν φύσιν διαφθερεῖ,

Andr. 638

νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες

maxime puto memorandum esse Andr. fr. 142

ἐγὼ δὲ παῖδας οὐκ ἐρῶ νόθους λαβεῖν
τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς
νόμῳ νοσοῦσιν. ὅ σε φυλάξασθαι χρεών:

quibus nescio quis inducitur spurios conquestus, quamquam ingenuis nulla re sint inferiores, lege tamen opprimi: quae eius qua apud Athenienses utebantur condicionis expressa est imago.

Atque Sophoclis temporibus cum nobilitatis potentia divitiarum increscente auctoritate inciperet obscurari, quid miramur etiam de hac re poëtam occasione oblata quid sentiret pronuntiasse? Qui divitias sine virtute pro nihilo aestimandas esse dicit fr. 718

γένοιτο κἂν ἄπλουτος ἐν τιμαῖς ἀνήρ.
οὐδὲν κακίων πτωχός, εἰ καλῶς φρονοῖ.

Quam sententiam a volgari de divitiis opinione longe recedere cum nemo non videt tum confirmatur aliis quibusdam locis quibus volgaris illa opinio haud dubie continetur. Nam cum florente Atheniensium re maritima paulatim eo ventum esset, ut et voluptatis studio pristina vitae simplicitas cederet et si quis aliquid in re publica cupiebat valere, ei largitionibus sumptuosisque liturgiis suscipiendis aura popularis esset captanda, plerosque consentaneum est nihil

---

[18]) Cf. Schenkl, Die politischen Anschauungen des Euripides, in Ztschr. f. österr. Gymn. 1862, p. 492 sq.

antiquius habuisse quam ut quomodocunque pecunias, quantas possent, sibi compararent. Quale pecuniae studium spirant haec verba (Creus. fr. 325)

καὶ μή τι θαυμάσῃς με τοῦ κέρδους, ἄναξ,
ὧδ' ἀντέχεσθαι. καὶ γὰρ οἳ μακρὸν βίον
θνητῶν ἔχουσι, τοῦ γε κερδαίνειν ὅμως
ἀπρὶξ ἔχονται κἄστι πρὸς τὰ χρήματα
θνητοῖσιν τἄλλα δεύτερ'. εἰσὶ δ' οἵτινες
αἰνοῦσιν ἄνοσον ἄνδρ', ἐμοὶ δ' οὐδεὶς δοκεῖ
εἶναι πένης ὢν ἄνοσος, ἀλλ' ἀεὶ νοσεῖν.

Atque pecunia omnia perpetrari in re publica disertis verbis exponitur Alead. fr. 109

τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους,
αὖθις δὲ τιμάς, εἶτα τῆς ὑπερτάτης
τυραννίδος θακοῦσιν ἡδίστην ἕδραν.
ἔπειτα δ' οὐδεὶς ἐχθρὸς οὔτε φύεται
πρὸς χρήμαθ' οἵ τε φύντες ἀρνοῦνται στυγεῖν.
δεινὸς γὰρ ἕρπειν πλοῦτος ἔς τε τἄβατα
καὶ πρὸς βέβηλα, χὠπόθεν πένης ἀνὴρ
μηδ' ἐντυχὼν δύναιτ' ἂν ὧν ἐρᾷ τυχεῖν.
καὶ γὰρ δυσειδὲς σῶμα καὶ δυσώνυμον
γλώσσῃ σοφὸν τίθησιν εὔμορφόν τ' ἰδεῖν.
μόνῳ δὲ χαίρειν καὶ νοσεῖν ἐξουσία
πάρεστιν αὐτῷ κἀπικρύψασθαι κακά.

Cui sententiae efficaciter opponuntur Ant. 295 sqq.

οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε· τοῦτο καὶ πόλεις
πορθεῖ, τόδ' ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων·
τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἵστασθαι βροτῶν·
πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν
καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι:

quibus Creontis orationi elegantissime intextis acerrime poëta invehitur in pecuniam tanquam morum corruptricem, a suae aetatis observatione haud dubie profectus : nam

heroica aetate de tanta pecuniae vi et auctoritate agi non potuisse quis est qui nesciat?

Atque Euripideos qui huc pertinent locos hic rescribere supervacaneum est (v. Schenkl, p. 493 sqq.): Aeschylei autem unius loci qui ad Aeschyleam artem cognoscendam utilissimus esse videtur apte hoc loco fit mentio. Prom. enim 887 sqq. quod de Iovis et Ius matrimonio chorus sic orditur loqui

ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὃς
πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν,
ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ
καὶ μήτε τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων
μήτε τῶν γέννᾳ μεγαλυνομένων
ὄντα χερνήταν ἐραστεῦσαι γάμων,

nonne haec videntur dicta esse ab homine Atheniensi qui viveret quinto a. C. saeculo? Nam quamvis arte cum ipsa re cohaereant, heroicorum tamen temporum ingenio minime respondent: quibus cum eadem fere sorte omnes uterentur, nemo profecto matrimonium initurus talia est ratiocinatus. Tria igitur quae tum Athenis versabantur distinguuntur hominum genera, ita ut qui divitiis excellant quique generis nobilitate glorientur ab humili multitudine segregentur. Ac si desiderat poëta, ne humiles conubio permisceantur cum optimatibus, hac sententia ipsius, quippe qui splendido loco fuerit natus, inlustrari videtur nobile quoddam ingenium quo servari ordinis et fortunae dicrimina quam quocunque rei publicae populares penetrare videtur maluisse. Atque ne hoc quidem immerito ex his paucis verbis elici videtur quod e media Atheniensium vita cotidiana sit sumptum. Nuptiarum enim tam imparium quantae essent acerbitates multi certe spectatorum aut ipsi erant experti aut aliorum calamitate docti erant, ut persaepe scimus evenisse, ut maritus qui ipse erat fortunis exiguis uxoris quae magnam dotem acceperat arbitrio esset subiectus [19]);

---

[19]) Cf. Plutarch. de educ. puer. 19. Amator. 7. Ob id ipsum

qualia ut evitentur, poëta illo loco civibus suadet, ne plura adfectent in matrimoniis ineundis quam quae ipsi habeant opponenda.

Sed redeat unde aberravit oratio ad civium Atheniensium ingenuitatem. Ac phratriae esse adscriptum inde ex Clisthenis temporibus constat non iam suffecisse ad omnia civitatis iura exercenda : immo plena civitas (*πολιτεία*) a pagi societate pendebat. Phratriarum autem propria etiamtum erat cura iuris familiaris (*ἀγχιστείας*), cuius summa versabatur in iure hereditario. Quod ipsum sollemni voce significatur in Ant. 174, ubi Creon dicit iure hereditario se regnum obtinere

ἐγὼ κράτη δὴ πάντα καὶ θρόνους ἔχω
γένους κατ' ἀγχιστεῖα τῶν ὀλωλότων

(nam *τὰ ἀγχιστεῖα* idem esse atque *τὴν ἀγχιστείαν* consentaneum est). Nec minus *ἀγχιστήρ*, quod *ἅπαξ λεγόμενον* invenitur in Trach. 256, quamvis translate heredis certe notione utitur. Praeterea gravissimus huc pertinet hic locus (Trach. 155 sqq.) . . . *ἦμος* . . . . . .

ὡρμᾶτ' ἀπ' οἴκων Ἡρακλῆς, τότ' ἐν δόμοις
λείπει παλαιὰν δέλτον ἐγγεγραμμένην
ξυνθήμαθ', ἁμοὶ πρόσθεν οὐκ ἔτλη ποτέ,
πολλοὺς ἀγῶνας ἐξιών, οὕπω φράσαι,
ἀλλ' ὥς τι δράσων εἷρπε κοὐ θανούμενος.
νῦν δ', ὡς ἔτ' οὐκ ὢν εἶπε μὲν λέχους ὅ τι
χρείη μ' ἑλέσθαι κτῆσιν, εἶπε δ' ἣν τέκνοις
μοῖραν πατρῴας γῆς διαιρετὴν νέμοι . . .

Neque enim dubium est quin agatur hoc loco de Herculis testamento litteris mandato, id quod ipsum ab heroicae aetatis ingenio alienum esse nemo non videt. Unum autem hoc testamento cautum est, quod prorsus ex Atheniensium iure hereditario fluere videatur. Nam cum antea, quoad

---

magnitudinem dotis Solonis lege coërcitam esse memorat idem Sol. c. 20; quibuscum cf. Plat. Legg. VI p. 774.

florebat gentilitas, omnis res familiaris non unius possessoris, sed gentilium fuisset ad quos nisi testatori erant filii ingenui solebat redire, a Solone testamenti factio cuiusque arbitrio erat permissa simulque cautum, ut uxori superstiti testator si non maiorem bonorum partem legaret dotem tamen ut ei debitam redderet. Cuius rei verbis λέχους ὅτι χρείη μ' ἑλέσθαι κτῆσιν quin ratio habeatur non dubito.

Atque in civili illo iure iurando, quo dato XVII annos nati (ἔφηβοι) sui quisque pagi tabulis adscribebantur, si recordamur posita fuissa verba ἵστορες θεοὶ, Ἄγλαυρος Ἐνυάλιος Ἄρης Ζεὺς (Poll. VIII, 105), haec videntur non nihil valuisse, ut Sophocles in Ai. 179 nautas Salaminios χαλκοθώρακα Ἐνυάλιον faceret invocantes. Qua re praeter alia quae supra (p. 21) tetigi nescio an antiquam illam quam Athenienses fuisse voluerunt ipsorum et Salaminiorum coniunctionem spectatoribus voluerit probare : quod qua ratione facilius fiebat quam excitata per ipsos Salaminios memoria eius ritus cuius nemo fere ex spectatorum numero non fuisset particeps? [30]).

Atque ad res paganorum quod attinet, iis licebat usque eo suis legibus vivere, ut agrum publicum possiderent cuius ex reditu sustinerent sumptus rerum paganarum, in his maxime sacrorum quorundam quae sua sponte administrabant. Princeps autem pagi (δήμαρχος), si opus erat, contiones convocabat quibus de rebus paganis deliberaretur. Quae bene possumus persequi in Oedipo Coloneo in qua Sophoclem videmus sui pagi non modo situm ac naturam sed etiam publicam condicionem describere a suae aetatis

---

[30]) Ceterum ne illud quidem omittendum est, quod ipsos hos duos, Dianam et Enyalium, hoc loco ex deorum numero eligit, hoc fortasse pendere ex ea consuetudine qua ἄρχων πολέμαρχος Ἀρτέμιδι ἀγροτέρᾳ et Enyalio quotannis solebat sacrificare (Poll. VIII, 91). Praeterea in ipsa Salamine insula Enyalii fuisse sacrum Plutarchus (Sol. 9) auctor est (cf. Schneidewin ad h. l.).

statu utique profectum. Nam postquam Oedipus Furiarum [21]) fanum ingressus numen violavit, ipsorum est Coloneorum diiudicare quid fiat ad *δημούχων θεῶν* (458), quorum cultus 469—92 coloribus ex poëtae aetate depromptis accuratissime describitur, iram leniendam, cf. 77 sqq.

αὐτοῦ μέν', οὗπερ κἀφάνης, ἕως ἐγὼ
τοῖς ἐνθάδ' αὐτοῦ, μὴ κατ' ἄστυ, δημόταις
λέξω τάδ' ἐλθών. οἵδε γὰρ κρινοῦσί σοι
εἰ χρή σε μίμνειν, ἢ πορεύεσθαι πάλιν.

Ac praeter ipsam rem non neglegendum puto vocem *δημότης* esse Atticis peculiarem significationem quae pagi alicuius consortes significet. Similiter *δῆμος* cum insolita notione agri vel finium usurpatur in Inach. fr. 265.

Ac priusquam de singulis civium iuribus muneribusque, quae quidem in Sophocleis fabulis tacta esse videantur, verba fiant, e re esse videtur de rei publicae forma quid in universum poëta iudicaverit paucis demonstrare. Qua de re cum Goecker p. 29 sqq. fusius disputaverit, paucis eam potero absolvere : quamquam non desunt quae illum fefellerint.

Atque Sophocli, ut erat homo vere Atheniensis, nil mirum est nullam rei publicae formam videri perfectiorem quam imperium populare, cum regium imperium cogitare vix possit nisi tyrannidis specie indutum. Itaque reges Sophoclei non sunt *ποιμένες λαῶν*, sed tyrannorum instar illorum qui in multis Graeciae civitatibus dominationem obtinuerant nullam legem nisi suum arbitrium secuti [22]). Singularem autem inter heroicos tyrannos ut apud Euripidem ita apud Sophoclem Theseus obtinet locum. Quem cum mira fama ferret popularis Atheniensium imperii esse conditorem (quo tendunt ipsius verba Eur. Suppl. 403 sqq.),

---

[21]) Quas saepius poëta nominat *Σεμνὰς*, proprio Atheniensium usus cognomine, velut O. C. [41]. 90. 458. Ai. 837. El. 113.

[22]) Cf. p. 20 n. 12.

cum a multis aliis tum a Sophocle ut omnium quibus Athenienses gloriabantur virtutum splendidissimum exemplar summis laudibus elatus est. Ac Sophocles in O. C. cum patriae magnitudinis celebraret auctorem, se ipsum praestitit patriae amantissimum. Nam non modo ipse Theseus summa pietate deos colit (cf. 634 sq. 1179 sq.), legum auctoritatem semper tuetur (913 sq.), summa iustitia (594) et sinceritate (935 sq.) instructus non tam verbis quam re fidem suam ac virtutem probat (1143 sq.), cum ne capitis quidem perhorrescat periculum (1040 sq.); peregrinos denique benignissime excipit (qua de re infra sermo fiet): sed totum Atheniensium populum summis virtutibus esse ornatum praeter Theseum (cf. 633. 913 sq. 1143 sq.) et chorum (cf. 879 et canticum 668 sqq.) ipse Oedipus profitetur, cum Athenas quae sit *πασῶν τιμιωτάτη πόλις* (108, cf. 282 *εὐδαίμονες*) et quae *κατῴκηνται καλῶς* (1004) celebret his verbis (1006 sq.)

ὁθούνεκ' εἴ τις γῆ θεοὺς ἐπίσταται
τιμαῖς σεβίζειν, ἥδε τῷδ' ὑπερφέρει,

ut cognoscat Creon *οἵων ὑπ' ἀνδρῶν ἥδε φρουρεῖται πόλις* (1013): quibuscum cf. 1125 sqq.

ἐπεὶ τό γ' εὐσεβὲς
μόνοις παρ' ὑμῖν ηὗρον ἀνθρώπων ἐγὼ
καὶ τοὐπιεικὲς καὶ τὸ μὴ ψευδοστομεῖν.

Unde poëtam elucet suorum temporum quibus nomen Atheniense summo in honore erat etiam apud ceteras Graeciae gentes, statum in heroicam aetatem transtulisse: nam Theseo certe regnante Atheniensium rem publicam apud exteras gentes nihildum fere valuisse quis est quin concedat?

Sed haec hactenus. Ingenium populare quam penitus Sophocli fuerit insitum, inde luculentissime apparet, quod praeter Atheniensium rempublicam ut ceteras de quibus in fabulis agitur civitates specie regnorum omni ex parte indueret, ne hoc quidem potuit a se impetrare. Quamquam

enim Atridis in Aiace et in Philocteta, Oedipo in Oedipo Rege, Creonti in Antigona tyrannicos adfingit mores et dominationem, Argivorum tamen exercitus nec minus Thebanorum populus saepius speciem praebet contionis penes quam summum est de rebus publicis arbitrium. Atque quod ipsa contio significatur Ai. 721 sq. et OR 144[23]), minime repugnat heroicae aetatis consuetudini qua rex, cum populo volebat aliquid denuntiare, *ἀγορὴν* solebat convocare : at contio si apparet summa potestate instructa, Sophocleae aetatis statum facile agnoscimus. Ita Argivorum exercitus potestas haud obscure significatur Ai. 408 sq. Aiacis his verbis

πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι

nec minus compluribus Philoctetae locis, ut 554 sq., ubi speculator ille specie mercatoris indutus Neoptolemo refert de iis

ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφὶ σοῦ νέα
βουλεύματ' ἐστί,

(cf. 560 *βούλευμ' ἀπ' Ἀργείων*), aut 1243 (cf. 1226), ubi fraudem Ulixes fingit perpetrari iussu *ξύμπαντος Ἀχαιῶν λαοῦ,* cuius arbitrio nisi cedat Neoptolemus, gravissimam ei poenam imminere, cf. 1250

στρατὸν δ' Ἀχαιῶν οὐ φοβεῖ, πράσσων τάδε;

et 1257 sq.

καίτοι σ' ἐάσω· τῷ δὲ σύμπαντι στρατῷ
λέξω τάδ' ἐλθών, ὅς σε τιμωρήσεται,

aut 1294, ubi arcum Philoctetae reddi vetat Ulixes

ὑπέρ τ' Ἀτρειδῶν τοῦ τε σύμπαντος στρατοῦ,

aut 1404, ubi ipse Neoptolemus cum dicat

αἰτίαν δὲ πῶς Ἀχαιῶν φεύξομαι;

---

[23]) Hoc loco Oedipus totum Thebanorum populum iubet convocari cuius vicem infra videmus praebere chorum quem in v. 223 compellat quasi sint *πάντες Καδμεῖοι.*

Argivorum de se iudicium videtur timere. — Multo autem luculentius haec mira tyrrannidis et popularis imperii confusio conspicitur in fabulis Oedipodeis. Nam in Antigona usque eo poëtam videmus populari ingenio indulgere, ut omissis ipsius Creontis verbis (173 sq.)

ἐγὼ κράτη δὴ πάντα καὶ θρόνους ἔχω
γένους κατ' ἀγχιστεῖα τῶν ὀλωλότων

eundem inducat profitentem populi iussu imperium se obtinere v. 666 *ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν* : cuius rei audacia augetur eo quod his ipsis verbis laus quaedam tyrannidis continetur. Similiter OR. 383 sq.

εἰ τῆσδέ γ' ἀρχῆς οὕνεχ', ἣν ἐμοὶ πόλις
δωρητὸν, οὐκ αἰτητὸν, εἰσεχείρισεν

a populo Oedipus videtur rex esse creatus, eundemque Corinthiorum populus rei publicae in animo habet praeponere v. 939, ubi nuntius dicit

τύραννον αὐτὸν οὑπιχώριοι χθονὸς
τῆς Ἰσθμίας στήσουσιν, ὡς ηὐδᾶτ' ἐκεῖ.

Atque populi scito Oedipus queritur ex patria se esse expulsum OC 440 sq. . . . . *πόλις βίᾳ*
ἤλαυνέ μ' ἐκ γῆς χρόνιον,

quibuscum cf. 431 sq.

εἴποις ἄν, ὡς θέλοντι τοῦτ' ἐμοὶ τότε
πόλις τὸ δῶρον εἰκότως κατήνεσεν,

— eiusdem scilicet populi cui incesti illius a se cum Iocasta commissi culpam attribuit 525 sq.

κακᾷ μ' εὐνᾷ πόλις οὐδὲν ἴδριν
γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ,

cf. 540 sq.

δῶρον, ὃ μήποτ' ἐγὼ ταλακάρδιος
ἐπωφέλησα πόλεος ἐξελέσθαι.

Creon autem, id quod fore Oedipus 455

πρὸς ταῦτα καὶ Κρεόντα πεμπόντων . . .

erat suspicatus, advenit, ut eum reducat (737 sqq.)

. . . *ἀνδρῶν ὑπὸ | πάντων κελευσθείς,*

quibuscum cf. 741

. . . πᾶς σε Καδμείων λεὰς | καλεῖ . . .

et 849 sqq.

. . . ἀλλ' ἐπεὶ νικᾶν θέλεις
πατρίδα τε τὴν σὴν καὶ φίλους, ὑφ' ἂν ἐγὼ
ταχθεὶς τάδ' ἔρδω, καὶ τύραννος ὢν ὅμως . . .

Ismena autem quod non audet βίᾳ πολιτῶν agere (cf. Ant. 79. 907) perinde ac si Thebanorum populus ac non ipse tyrannus Polynicem vetuerit sepeliri, hoc eodem cadere manifestum est.

Ingeniosissime vero minimeque fortuito tyrannidis pravitatem imperii popularis virtuti opposuit poëta altercatione illa Haemonis et Creontis quae continetur Ant. 732 sqq.

ΚΡ. οὐχ ἥδε γὰρ τοιᾷδ' ἐπείληπται νόσῳ;
ΑΙ. οὔ φησι Θήβης τῆσδ' ὁμόπτολις λεώς.
ΚΡ. πόλις γὰρ ἡμῖν ἁμὲ χρὴ τάσσειν ἐρεῖ;
ΑΙ. ὁρᾷς τόδ' ὡς εἴρηκας ὡς ἄγαν νέος;
ΚΡ. ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή με τῆσδ' ἄρχειν χθονός;
ΑΙ. πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρὸς ἔσθ' ἑνός.
ΚΡ. οὐ τοῦ κρατοῦντος ἡ πόλις νομίζεται;
ΑΙ. καλῶς ἐρήμης γ' ἂν σὺ γῆς ἄρχοις μόνος.

Nam qua re Atheniensium animos magis putatis esse delectatos quam audita laude eius reipublicae cuius virtutes iis essent penitus insitae non minus quam odium tyrannidis? Hic autem locus aptissimus esse videtur ad demonstrandum quantum intersit inter Sophocleam artem et Euripideam. Euripides enim, ut semper id studebat ut quam amplissima spectatoribus praeberet oblectamenta, ne hac quidem re praetermissa similem illi duarum reipublicae formarum protulit comparationem : quae continetur Suppl. 414—56 quibus Theseus de optima rei publicae forma cum praecone Thebano collocutus imperium populare ab eius opprobriis defendit. Praeco enim celebrata Thebanorum re publica, in qua cum penes unum sit summa imperii, non inveniantur contionatores qui adulationibus ad perniciosa consilia

volgus pelliciant, ad reprehendendum populare imperium adfert rationes quae saepius Socratis sapiant praecepta : hominem enim de plebe carere non modo prudentia et eruditione, sed otio quo deficiente nemo reipublicae possit prodesse (cf. 417—25). Contra Theseus verbosa oratione tyrannidem discerpit cuius virtutes vitiis longe superentur. Ac satis fere est animadvertisse ad eandem quam Sophocles paucis illis versibus absolvit rem significandam XLII versibus Euripidem abhibere. Accuratius autem in locum Euripideum inquirentibus controversiarum illarum nobis venit in mentem quas ad artem disputandi exercendam de variis rebus a rhetorum discipulis scimus esse exercitatas : nam omnia utrimque adferuntur argumenta ad alteram opinionem probandam, contrariam reprobandam, ita ut tota explicatio fiat admodum ieiuna. Pauci igitur illi versus Sophoclei quam longe distent ab artificiosa ista et praeceptorum more composita Euripidis explicatione, primo elucet obtutu. Nam praeterquam quod propter ipsam brevitatem Sophoclea sententia multum abest ut extra fabulae rationem posita esse videatur, ingeniossime fecit poëta quod stichomythia usus eam pronuntiavit : qua forma sermonis cum continuo alia sententia aliam eamque plerumque contrariam excipiat, quamvis efficacissimum evadat sententiarum acumen, res tamen eiusmodi ab ipsa fabula alienas manifestum est multo minus conspici quam si eaedem, ut fit apud Euripidem, verbosis orationibus contineantur, quibus fabulae processus admodum incommode interpelletur.

Atque ad ipsius patriam quod attinet, Sophocles Thesei regno imperii popularis adfinxisse lineamenta minime contentus eo procedit, ut omissa heroica aetate prorsus fingat fieri potuisse, ut libera republica Athenienses tunc ipsum uterentur, cf. OC 66, quo Oedipus expresse interrogat

ἄρχει τις αὐτῶν, ἢ 'πὶ τῷ πλήθει λόγος;

(quocum cf. Eur. Cycl. 119 *τίνος κλύοντες; ἢ δεδήμευται κράτος;*). Patet igitur poëtam quasi praecurrentem eius rei publicae formae habuisse rationem quam paucis saeculis

post Thesei regnum fama ferebat esse institutam. Cuius rei plura in eadem OC extant vestigia. Theseus enim non modo (558) ab advenis quaerit quaenam iis sit causa *civitati* et sibi ipsi supplicandi, et 758 sq. eos monet, ut Atheniensium *civitati* benignitatis gratiam habeant, sed v. 1531 ab Oedipo morituro arcanam illam rem (agitur de Oedipi sepulcro), si ipse e vita sit decessurus, iubetur nemini deferre nisi *τῷ προφερτάτῳ,* qui post eius mortem rempublicam sit gubernaturus : qua locutione cum neque filius maximus natu neque omnino filius necesse sit significetur, consulto poëta videtur usus esse tam generali, ne illam legem Oedipus videretur temporis angustiis includere futura liberae reipublicae aetate exempta [24]).

Atque Athenienses cum recte intellegerent non tam in eo summam civitatis positam esse quod unicuique rempublicam liceret capessere quam in eo quod pariter omnes iure libere loquendi legumque praesidio uterentur, Sophoclem, ut erat patriae amantissimus, haec imperii popularis fundamenta, *ἰσονομίαν* et *ἰσηγορίαν* vel *παρρησίαν,* et ipsum quoque summi aestimasse facile intellegitur. Ac primum quidem ad *ἰσονομίαν* quod attinet, de ipsa legum auctoritate quid Sophocles senserit, paucis exemplis mihi est demonstrandum. Atque heroica aetate *ἄγραπτα* illa *κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα* quae *οὔ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ* (Ant. 454 sqq., quibuscum cf. OR 865 sqq. OC 1382. El. 1095) sola quodam modo fuisse rei publicae firmamenta satis elucet, si ipsam heroicam rempublicam respicimus nihil fuisse nisi societatem quandam qua gentium maior minorve numerus admodum laxe erat coniunctus. Itaque cum illis temporibus nec firma esset rei publicae ratio neque ullae praeter divinas illas leges singulaque quae ad singulas res spectabant principis edicta leges publice essent conditae, Ant. 368 sq. quod expresse segregantur publicae leges a divinis

---

[24]) Cf. Bellermann ad h. l.

νόμους παραιρῶν χθονὸς
θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν,

hanc sententiam haud immerito heroicae aetatis indoli abiudicamus. Quantam autem vim et auctoritatem publicis legibus poëta tribuerit, nonnullis ex locis cognoscimus, ex quibus memoro Ant. 663 sqq.

ὅστις δ' ὑπερβὰς ἢ νόμους βιάζεται,
ἢ τοὐπιτάσσειν τοῖς κρατύνουσιν νοεῖ,
οὐκ ἔστ' ἐπαίνου τοῦτον ἐξ ἐμοῦ τυχεῖν.

Quae quamquam suo loco spectant ad Creontis dominationem, nihilo tamen minus ad quamlibet rempublicam, quae quidem legum praesidio nitatur, possunt referri. De sua autem patria, cum haec verba conscribert, poëtam cogitasse cum ipsum probabile est tum confirmatur observationibus quibusdam quas paucis adumbrabo. Nam primum quae verba illis antecedunt (661 sq.)

ἐν τοῖς γὰρ οἰκείοισιν ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
χρηστός, φανεῖται κἀν πόλει δίκαιος ὤν,

haud dubie ad Atheniensium rem publicam sunt revocanda: an heroicis temporibus aut florente tyrannide vitae hominum privatae opposita fuisse videtur publica in qua unus quisque versatus bonum ac iustum se posset praestare? Similiter 668 sq. fingit poëta unumquemque in re publica posse ἄρχειν, i. e. publicis honoribus fungi, id quod ne ipsum quidem aut ad heroicum regnum aut ad tyrannidem elucet quadrare. Iis autem quae subsequuntur (670 sq.) pugnandi quaedam ratio ab heroicis temporibus plane aliena (Δωρικὴ φάλαγξ) haud obscure significatur. Deinde quod 672 sqq. orationi quae v. 671 videtur esse conclusa additur explicatio qua πειθαρχίας virtutibus malorum quibus laboret ἀναρχία opponitur enumeratio, hoc discrimen poëtam consulto civibus posuisse ante oculos, ne unquam legum sanctitatem violarent, ex hac orationis ubertate non sine specie probabilitatis efficitur: haec tamen, praeterquam quod minime agitur de nova quadam re aut inaudita quae

spectatoribus probetur, summo vigore poëtico ornata quantum discrepent ab Euripideis illis ratiocinationibus nemo non videt.

Quae si recte disputavi, praeter Ant. 1113 sq.

δέδοικα γὰρ μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους
ἄριστον ᾖ σῴζοντα τὸν βίον τελεῖν,

quae eiusdem Creontis sunt verba, ne hi quidem loci iniuria hoc loco videntur memorari El. 1505 sqq.

χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,
ὅστις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλοι,
κτείνειν·

(quae tamen dubito an cum Dindorfio Sophocli sint abiudicanda) et fr. 674[b] *νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχώροις καλόν.* Neque deest similis qui ad ipsorum Atheniensium rem publicam tendit locus : OC 913 enim cum Theseum inducat cum superbia quadam dicentem Athenas esse *δίκαι' ἀσκοῦσαν . . πόλιν κἄνευ νόμου κραίνουσαν οὐδὲν,* ipse ex suo simul animo summam laudem patriae tribuit. Ipsius autem *ἰσονομίας* expressam laudem, quales apud Euripidem inveniuntur Suppl. 430 sqq. (quibuscum cf. Phoen. 535 sqq. aliosque quos Schenkl l. c. p. 489 attulit locos) in Sophocleis fabulis nullam inveni.

Deinde ad ius libere loquendi quod attinet, hoc documentum libertatis et ingenuitatis (cf. Eur. Ion. 670 sqq. quos supra p. 19 laudavi) extollitur Epigon. fr. 204

ὅπου δὲ μὴ τἄριστ' ἐλευθέρως λέγειν
ἔξεστι, νικᾷ δ' ἐν πόλει τὰ χείρονα,
ἁμαρτίαι σφάλλουσι τὴν σωτηρίαν

et inc. fab. fr. (Meinek. poët. com. III, 584)

ἐλευθέρα γὰρ γλῶσσα τῶν ἐλευθέρων.

Nec minus huc pertinet locutio *ἐξελευθεροστομεῖν* (Ai. 1258), i. e. ingenuorum more, aperte et procaciter loqui. Aptissime autem Sophocles chorum semper inducit ex civibus vel liberis compositum, ut libere loqui possit et condolere, id quod non fefellit scholiastam qui adnotavit ad

Ai. 134 *πιθανῶς αὐτῷ ὁ χόρος ἐσκεύασται ἀπὸ Σαλαμινίων ἀνδρῶν, τοῦτο μὲν παρρησιαζομένων ὡς ἐλευθέρων, τοῦτο δὲ συμπαθῶς ἐχόντων ὡς πολιτῶν, καὶ αἰδημόνως λαλούντων ὡς ὑπηκόων.* Contra apud Euripidem ex servis chorum saepe invenimus compositum, qui mire ac ridicule nonnunquam inducuntur subtilissimis utentes disputationibus, quasi non minus sint eruditi quam illustrissimus quisque civium Atheniensium.

Neque vero semper *παρρησία* Atheniensium reipublicae fuit commodo. Nam defuncto Pericle qui summa cum sapientia omnia administraverat singulorumque perniciosa studia coërcuerat, ii qui ad gubernacula reipublicae sedebant volgi inservire coeperunt voluptatibus cum summo detrimento rei publicae. Quo factum est, ut per bellum Peloponnesiacum, cum viri vere *καλοὶ κἀγαθοὶ* e medio reprimerentur, contionatores ut callidissimi ita pravissimi rhetorum arte sophistarumque doctrina abusi, cum ipsorum commodi maxime essent studiosi, multitudinem huc illuc traherent, ita ut ipsi suam rempublicam Athenienses viderentur lacerare. Atque talis rerum status ut patriae amantissimum quemque taedebat, ita Sophocles illorum volgi corruptorum eorumque praeceptorum saepe summam prae se fert indignationem. Ac minime fortuito pleraque eiusmodi inveniuntur in Philocteta et in Oed. Coloneo quas fabulas earum quae supersunt constat esse recentissimas : nam sub ipsum finem belli, everso quadringentorum illo senatu et quinque milium contione, Atheniensium res publica ut belli casibus erat consumpta ita factionum discordiis foede dilaniabatur. Itaque quamquam minime comprobo A. Schöllii (l. c. p. 309 sqq.) aliorumve sententiam qui in Philocteta volunt sub agentium personis latere eos qui tum in Atheniensium republica aliquid egerint, hoc tamen non negaverim Ulixem illum esse quasi imaginem contionatoris (*δημαγωγοῦ*) sophistarum doctrina instituti qui dolo atque insidiis propositum studeat

adsequi. Nam non modo Philoctetes haud ignorat eum esse (407 sqq.)

> παντὸς ἂν λόγου κακοῦ
> γλώσσῃ θιγόντα καὶ πανουργίας, ἀφ' ἧς
> μηδὲν δίκαιον ἐς τέλος μέλλοι ποιεῖν,

sed ipse Ulixes quam agendi rationem sequatur aperte profitetur 96 sqq.

> κἀυτὸς ὢν νέος ποτὲ
> γλῶσσαν. μὲν ἀργὸν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν·
> νῦν δ' εἰς ἔλεγχον ἐξιὼν ὁρῶ βροτοῖς
> τὴν γλῶσσαν, οὐχὶ τἄργα, πάνθ' ἡγουμένην :

linguae enim sollertia illud genus multo plus sibi videtur proficere quam fortiter ac strenue agendo. Ac si Neoptolemo interroganti

> (108) οὐκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα τὰ ψευδῆ λέγειν;

Ulixes respondet

> (109) οὔκ, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει,

nonne pravum illud sophistarum agnoscimus praeceptum quod multis saeculis post a societate Iesu constat esse redintegratum? Accedit quod vocabulis σοφὸς (119. 431. 440. 1015. 1244 sqq., cf. fr. 784) σοφίζεσθαι (77) σόφισμα (14) saepius videtur inesse sapor quidam civilis, ita ut in malam partem accipienda sint : quod bene illustratur conlato Aethiop. fr. 26

> τοιαῦτά τοί σοι πρὸς χάριν τε κοὐ βίᾳ
> λέγω, σὺ δ' αὐτὸς ὥσπερ οἱ σοφοὶ τὰ μὲν
> δίκαι' ἐπαίνει, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου

quibus sophistarum studia luculenter significantur. Praeterea cf. Alet. fr. 88

> ψυχὴ γὰρ εὔνους καὶ φρονοῦσα τοὔνδικον
> κρείσσων σοφιστοῦ παντός ἐστιν εὑρέτις

in quo vox σοφιστὴς uti videtur propria illa notione qua in fr. 946 [35]) haud dubie vacat.

---

[35]) Schol. Pind. Isthm. 5, 36 σοφιστὰς μὲν καὶ σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς. Σοφ. μέν' εἰς σοφιστὴν τὸν ἐμόν. Cf. Eustath. p. 1023, 13.

Ac Sophocles, ut in Philocteta iuxta posuit Neoptolemi adulescentis sinceritatem et callidum illud insidiosumque Ulixis ingenium, ita in O. C., quo efficacius Oedipi et Thesei probitati Creontis opponeretur morum pravitas, lineamenta quaedam eius ingenio impressit a sophistarum proprietate deprompta. Quod inlustratur cum Oedipi de Creontis prava eloquentia iudiciis, ut 761 sq.

ὦ πάντα τολμῶν κἀπὸ παντὸς ἂν φέρων
λόγου δικαίου μηχάνημα ποικίλον,

794 sq. τὸ σὸν δ' ἀφῖκται δεῦρ' ὑπόβλητον στόμα
πολλὴν ἔχον στόμωσιν,

806 sq. γλώσσῃ σὺ δεινός· ἄνδρα δ' οὐδέν' οἶδ' ἐγὼ
δίκαιον ὅστις ἐξ ἅπαντος εὖ λέγει,

tum ipsius Creontis orationibus quae arte quadam et dispositione rhetorica sunt elaboratae : ex quibus praecipue mentione digna est quae continetur v. 939 sqq. Qua studet a Thesei opprobriis sese defendere ea ratione, ut ipsa crimina callidissime eludens furtive orationem ad aliud traducat, unde sibi speciem iuris speret evasuram [26]) : nam cum Theseus ei crimini dederit quod quamvis peregrinus puellas quae essent sub ipsius tutela vi abduxisset, hanc rem ne verbo quidem Creon tangit : immo vero verba facit de Oedipi parricidio et incesto qui ut ab Atheniensibus excipiatur areopagum confidat non esse permissurum [27]). Ac maxime est notandum quam astute Thesei verba ita conetur versare ut suo commodo inserviant : nam cum 917 sq. Theseus dixerit

[26]) cf. schol. 939 τὴν ῥητορείαν παραφύλαξον, εἰ τῶν μὲν κατηγορηθέντων αὐτοῦ οὐχ ἅψεται, καινὰ δέ τινα ἐνθυμήματα καὶ πάνυ εὔλογα ἐξευρίσκων ἀντερεῖ.

[27]) Cuius similis est ratio spinosae illius quam, cum Antigonam viventem muro includi iusserit, idem promit excusationis (Ant. 887 sqq.)

ἄφετε μόνην ἔρημον, εἴτε χρῇ θανεῖν
εἴτ' ἐν τοιαύτῃ ζῶσα τυμβεύειν στέγῃ·
ἡμεῖς γὰρ ἁγνοὶ τοὐπὶ τήνδε τὴν κόρην·
μετοικίας δ' οὖν τῆς ἄνω στερήσεται.

καί μοι πόλιν κένανδρον ἢ δούλην τινὰ
ἔδοξας εἶναι,

939 sq. respondet Creon

ἐγὼ οὔτ' ἄνανδρον τήνδε τὴν πόλιν νέμων,
ὦ τέκνον Αἰγέως, οὔτ' ἄβουλον, ὡς σὺ φῄς . . . .

multo modestiore usus sui purgandi causa elocutione: quo ipso continetur id quod sophistae dicebant *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. Cui pravitati 1143 sq.

οὐ γὰρ λόγοισι τὸν βίον σπουδάζομεν
λαμπρὸν ποιεῖσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς δρωμένοις.

Theseus opponit Atheniensium rem publicam non tam in verbis quam in agendo esse positam. Quam pristinae virtutis recordationem Atheniensibus fuisse pro admonitione, si respicimus quo tempore O. C. primum docta sit, satis apparet: nam tum res publica adeo erat debilitata, ut, cum nemo ad fortiter agendum animos erigeret, contionatorum perversis consiliis iactata cuiusvis loquendi facultati re vera esset subiecta[28]).

Atque pravi illius eloquentiae generis quod saepe cum turpissima ignavia sit coniunctum summum spirant contemptum Phryg. fr. 649

τοὺς εὐγενεῖς γὰρ κἀγαθούς, ὦ παῖ, φιλεῖ
Ἄρης ἐναίρειν· οἱ δὲ τῇ γλώσσῃ θρασεῖς,
φεύγοντες ἄτας ἐκτός εἰσι τῶν κακῶν.
Ἄρης γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν λῃίζεται

et fr. 865

οἱ γὰρ γύνανδροι καὶ λέγειν ἠσκηκότες.

Evidentius autem illi contionatores videntur significari Phil 386 sqq.

---

[28]) Similiter *λόγοι* et *ἔργα* inter se opponuntur Eriph. fr. 209

γλῶσσ' ἐν οἷσιν ἀνδράσιν τιμὴν ἔχεις
ὅπου λόγοι σθένουσι τῶν ἔργων πλέον,

quocum cf. fr. quod exstat ap. schol. Eur. Rhes. 105

εἴθ' ἦσθα σώφρων ἔργα τοῖς λόγοις ἴσα.

πόλις γάρ ἐστι πᾶσα τῶν ἡγουμένων
στρατός τε σύμπας· οἱ δ' ἀκοσμοῦντες βροτῶν
διδασκάλων λόγοισι γίγνονται κακοί,

in quibus vox διδάσκαλοι non minus ad eos referenda est quam locutio κωτίλος ἀνὴρ in Phaedr. fr. 606

οὐ γάρ ποτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἀσφαλὴς πόλις,
ἐν ᾗ τὰ μὲν δίκαια καὶ τὰ σώφρονα
λάγδην πατεῖται, κωτίλος δ' ἀνὴρ λαβὼν
πανοῦργα χερσὶ κέντρα κηδεύει πόλιν.

Atque constat volgi illos turbatores, ut multitudini quae cupiebant facilius persuaderent, eius credulitate et superstitione in suum commodum conversa saepius adhibuisse ficta oracula quae curabant a vatibus auro corruptis edenda. Quo factum est, ut vatum ordo paulatim veniret in summam contemptionem. Cuius rei ne apud Sophoclem quidem desunt vestigia : quamquam verba τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος (Ant. 1055) utique eo referenda esse non perseveraverim. Nam haec sententia nihil est nisi convicium quo Creon invehitur in Tiresiam quem putat auro esse corruptum : quod autem sententiae acumen non ad unum Tiresiam sed ad totum genus tendit, hoc fluit ex ingenio tyrannico quo talia convicia in maius solent extolli. Neque id puto esse neglegendum etiam aliis eiusdem tragoediae locis Creontem praebere speciem eius qui vatis sacrosancti, i. e. ipsorum deorum, nullam habeat verecundiam (cf. 631. 1033 sqq. ac praecipue 1044 εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι | θεοὺς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει, qua specie excusationis summa continetur deorum contemptio). Nihilo tamen minus nil obstat, quominus, si non cum primum docta est Antigona at postea fuisse putemus inter spectatores qui auditis illis verbis de Atheniensium vatibus cogitarent. Quod cum maiore quadam probabilitate dici potest de OR 387 sq. ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον,

δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν
μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός,

ubi singulae voces ad Sophocleae aetatis statum sunt revocandae. Nam vocibus *μάγος* et *ἀγύρτης* haud dubie significantur errones illi plerumque Persici qui Graeciam pervagati ad quaestum abducebant vaticinationem similiter atque Cingari adhuc vagantes. Quibus ut appareat quanto cum contemptu Tiresias Atheniensibus visus sit adnumerari, praeterquam quod quicunque sibi ipsi victum quaerebant (*βάναυσοι*) a civibus ingenuis despiciebantur, vocem *μάγος* moneo idem valere ac *γόης* eiusdemque contemptionis esse participem, ita ut locutio *μάγος καὶ γόης* in proverbium abierit quo nequissimus praestigiator etiam cum sensu civili significetur (cf. Aesch. Ctes. 137). Itaque si respicimus *μάγον* et *γόητα* idem fere esse, *γόητα* autem adpellari sophistam (cf. Dem. 18, 276), hac ipsa observatione vaticinationis cum sophistarum studiis conexus bene inlustratur [29]).

Ac praeterquam quod vaticinatio propter illum abusum contemptui erat, philosophorum studiis qui ad naturales causas, non ad deorum voluntatem omnia revocabant vatum observantiae aliquantum officiebatur. Quo fit, ut Euripides, ut est rationalismi quem nostrates dicunt propugnator, disertis verbis compluries omnem fidem ac veritatem oraculis abiudicet, cum secundum humanam rationem fieri non possit, ut homines res futuras vel deorum voluntatem praedicant [30]). Sophoclem autem quem summa cum pietate maiorum fidem haud ignoramus servasse eo magis miramur duobus locis, cum et ipse de vaticinatione proferat eiusmodi sententiam eamque satis generaliter formatam, videri sibi non constare. OR enim v. 497 sqq. chorum inducit dicentem

---

[29]) Inter hos praestigiatores cum non defuisse videantur ventriloqui, obiter memoro huius rei apud Sophoclem extare vestigium, cf. Capt. fr. 52 quod continetur glossa Hesychii *Ἐν στερνομαντίας* (rectius cum Dindorfio *στερνομάντεσιν*) : *ἐγγαστριμύθοις*.

[30]) Locos qui huc tendunt congessit Schenkl l. c. p. 497 sq.

ἀλλ' ὁ μὲν οὖν Ζεὺς ὅ τ' Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν
εἰδότες· ἀνδρῶν δ' ὅτι μάντις πλέον ἢ 'γὼ φέρεται
κρίσις οὐκ ἔστιν ἀληθής· σοφίᾳ δ' ἂν σοφίαν
παραμείψειεν ἀνήρ.
ἀλλ' οὔποτ' ἔγωγ' ἄν, πρὶν ἴδοιμ' ὀρθὸν ἔπος,
μεμφομένων ἂν καταφαίην,

eandemque fere de oraculis dubitationem Iocasta prae se fert OR. 707 sqq., ubi Oedipum studet docere

οὕνεκ ἐστί σοι
βρότειον οὐδὲν μαντικῆς ἔχον τέχνης (709)

monetque ne oraculis fidem tribuat, cf. 724 *ὧν γὰρ ἂν θεὸς*
χρείαν ἐρευνᾷ ῥᾳδίως αὐτὸς φανεῖ.

Quibus locis salva ipsorum deorum fide exprimitur humanis deorum interpretibus nullam fidem deberi. Cuius sententiae tenore adductus facere non possum quin Sophoclem, ut illo quem supra memoravi (p. 23 n. 16), ita hoc loco arbitrer pendere quodammodo ab Euripide : quamquam huius deorum contemptoris qui omnino deos esse negavit[31]) multum afuit ut longius sequeretur vestigia. Ex omnibus autem quibus de oraculorum vanitate agitur locis Euripideis nullus cum Sophocleis illis accuratius concinit quam haec verba Orestis (El. 399 sq.)

Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι
χρησμοί, βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

Atque quoniam de rei publicae perditoribus est sermo, hic locus esse videtur memorandi sodalitates illas optimatium (*ἑταιρίας*) quarum obscuris artibus populares saepius graviter laborabant. Nam si quis eiusmodi sodalitatis particeps aut honorem petebat aut aliquem in ius vocaverat aut ipse reus erat, sodales eum suffragiis suis omnibusque machinationibus solebant adiuvare. Qua re cum usu venerit, ut quicunque superiorem in republica locum petebat ei

---

[31]) cf. Ar. Thesm. 450 sq.

opus esset adiutoribus qui pecunia et ambitu erant conciliandi, haec Oedipi verba (OR 540 sqq.)

ἆρ' οὐχὶ μῶρόν ἐστι τοὐγχείρημά σου,
ἄνευ τε πλούτου καὶ φίλων τυραννίδα
θηρᾶν, ὃ πλήθει χρήμασίν θ' ἁλίσκεται,

quamquam dicta sunt de tyrannide, a multis certe ad rempublicam Atheniensium puto esse revocata : vox enim φίλοι hoc loco non ita aliena est a notione ἑταίρων (cf. Alead. fr. 109 v. 1, p. 27). Atque in Ai. 682 sq., ubi Aiax dicit τοῖς πολλοῖσι γὰρ

βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν

nescio an voce ἑταιρεία poëta usus sit, ut illarum sodalitatum simul perstringeret ambiguam fidem.

Haec fere in fabulis Sophocleis mihi occurrerunt, unde, quid in universum de republica iudicaverit poëta, possit elici. Confirmatur enim illis observationibus id quod vel inde elucet, quod Periclis fruebatur amicitia, fuisse eum sicut δημοκρατίας fautorem ita ab ὀχλοκρατίᾳ aversum. Atque Euripidem idem fere de republica sensisse permultis locis evincitur : quos tamen si comparamus cum Sophocleis, utriusque proprietas facile dispicitur. Sophocleae enim eiusmodi translationes cum aut singulis contineantur locutionibus aut, si paulo accuratius explicantur, ipsius fabulae rationi et sententiarum cuiusque loci continuationi tam artificiose sint intextae personarumque ingenio adaptatae, ut insigne quid latere minus attente audientem vel legentem plerumque fugiat, Euripidem videmus ipsa fabula et heroicorum temporum hominumque ingenio prorsus omisso tanquam Atheniensem ad Athenienses de re publica eiusque institutis ac vitiis agentium ore facere verba, talibusne ratiocinationibus fabulae processus interpelletur aut personarum ingeniis vis adferatur non curantem. Quae ut facilius perspiciantur, pauca satis habebo attulisse exempla : nam omnes qui huc pertinent locos congerere supervacaneum est praesertim cum, quanto liberius et latius

quam Sophocles isti licentiae Euripides indulgeat, qui unam eius fabulam attentius perlegerit, facile intelleget. Ac nullo loco Euripideae artis et virtutes et vitia arbitror dilucidius conspici quam in descriptione illa contionis Argivorum quibus de sorte Orestis iudicium est ferendum (Or. 884 sqq.) : ubi expressam poëta finxit imaginem civilium illarum quibus sub finem belli Peloponnesiaci (nam docta est Orestes Ol. 92, 4) Atheniensium respublica conturbabatur discordiarum. Atque quam accurate suae patriae mores imitetur, ex ipso descriptionis exordio apparet, ubi verba

ἐπεὶ δὲ πλήρης ἐγένετ' Ἀργείων ὄχλος,
κῆρυξ ἀναστὰς εἶπε· τίς χρῄζει λέγειν;

si legimus, nemini opinor non in mentem venit sollemnis illius formulae qua praeco, quisnam ex civibus vellet dicere, solebat rogare (*τίς ἀγορεύειν βούλεται*, Dem. de cor. 170; cf. Ar. Ach. 45. Eccl. 130). Deinde postquam Talthybius praeco et Diomedes verba fecerunt quae minoris ad hanc expositionem sunt momenti, duo deinceps existunt homines quorum ingenia prorsus contraria egregia cum arte depinguntur. Alter enim est (903 sqq.)

ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει
Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος[32]),
θορύβῳ τέ πίσυνος κἀμαθεῖ παρρησίᾳ,
πιθανὸς ἔτ' αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι.

Quod primo obtutu apparet esse exemplar quoddam demagogi, quod genus sub finem belli supra dixi floruisse omnium desperatione abutens[33]). Cuius contionatoris nequitiae

[32]) Retinui quod libri exhibent verbum *ἠναγκασμένος*, quamquam quid significetur parum liquet. Nam ex coniecturis quibus loco mederi conati sunt viri docti, nulla adhuc videtur satis esse probabilis.

[33]) Obiter memoro verbis *Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος* contineri contemptionem quandam ambiguae nothorum civitatis : quamquam utrum ad ipsum Cleophontem, quippe qui pro notho habitus sit (cf. Ar. Ran. 679 sq.) haec locutio spectet (sic schol. ad h. l. cf. Diod. 13, 83. Philochor. in schol. 772) necne, mihi hoc loco non est diiudicandum.

opponitur virtutis civilis exemplum quod summa cum arte describitur 917 sqq.

ἄλλος δ' ἀναστὰς ἔλεγε τῷδ' ἐναντία,
μορφῇ μὲν οὐκ εὐωπὸς, ἀνδρεῖος δ' ἀνὴρ,
ὀλιγάκις ἄστυ κἀγορᾶς χραίνων κύκλον,
αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σῴζουσι γῆν,
ξυνετὸς δὲ, χωρεῖν ὁμόσε τοῖς λόγοις θέλων,
ἀκέραιος, ἀνεπίληπτον ἠσκηκὼς βίον.

Est igitur paganus neque forma neque eloquentia insignis et qui, cum non dedignatus agellum suum antiquo more ipse colere perraro veniat in urbem, eo magis iudicium suum habeat integrum nec factionum studiis maculatum. Cuius probitas ac prudentia ab insana multitudine adeo non probatur, ut contra illius perversa sententia pervincat. Quoties Athenis similia videntur esse facta! — Videmus igitur eorum utrumque esse exemplum certae hominum speciei quae Euripidis aetate Athenis versabatur : qui utrum ipse praeferat, ex ipsa ratione describendi haud obscure apparet. Quid autem sentiat de populo tractando, disertis verbis profitetur interpositis ratiocinationibus quibusdam quae, cum non minus a nuntii ingenio et humilitate abhorreant quam rectum narrationis tenorem interrumpant, fieri non potest quin certo quodam consilio a poëta nuntii orationi sint insertae. Versibus enim 907 sqq.[34]) nuntium facit demonstrantem rectorum populi duo esse genera quorum alterum, cuius sit ille quem modo (903 sqq.) depinxerit, perditurum sit rempublicam, cf. 907 sq.

ὅταν γὰρ ἡδὺς τοῖς λόγοις φρονῶν κακῶς
πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα,

[34]) V. 907—913 spurios esse ratus Kirchhoffio auctore eiecit Dindorf, sed me quidem iudice iniuria: nam haec ipsa est artis Euripideae proprietas, ut saepe eiusmodi ratiocinationibus mediam interpellet narrationem, quibus quid ipse de quaque re sentiat, cum spectatoribus communicet.

alterum ratione et consilio usum rei publicae maximo commodo possit esse, cf. 909 sq.

ὅσοι δὲ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεὶ
κἂν μὴ παραυτίκ', αὖθίς εἰσι χρήσιμοι | πόλει . . .

Comprehenditur quid observandum sit ei qui velit multitudinem regere verbis (910 sqq.)

θεᾶσθαι δ' ὧδε χρὴ τὸν προστάτην
ἰδόνθ'· ὅμοιον γὰρ τὸ χρῆμα γίγνεται
τῷ τοὺς λόγους λέγοντι καὶ τιμωμένῳ,

quae quid valeant, cum extrema verba graviter sint corrupta[35]), etsi non omni ex parte potest perspici, hoc tamen unum poëtae videtur persuasum esse temerario volgo opus esse προστάτῃ (cf. Or. 772. Suppl. 243), i. e. patrono qui eius tutelam administret, quasi ipsum nondum ad maturitatem pervenerit. Atque etiam magis, quid in universum iudicet de multitudinis natura, perspicuum fit ex Or. 696 sqq.

ὅταν γὰρ ἡβᾷ δῆμος εἰς ὀργὴν πεσών,
ὅμοιον ὥστε πῦρ κατασβέσαι λάβρον·
εἰ δ' ἡσύχως τις αὐτὸς ἐντείνοντι μὲν
χαλῶν ὑπείκοι καιρὸν εὐλαβούμενος,
ἴσως ἂν ἐκπνεύσει'· ὅταν δ' ἀνῇ πνοάς,
τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.

Quae et ipsa excursus loco posita in Menelai oratione haud dubie spectant ad Atheniensium populum, qui ut quasi in speculo inconstantiam suam cernant, poëta studet efficere. Eodem tendit Or. 782

OP. καὶ τὸ πρᾶγμα γ' ἔνδικόν μοι. ΠΥ. τῷ δοκεῖν εὔχου μόνον.

Neque enim ipsius causae aequitatem in iudiciis ferendis volgus solet respicere, sed quascunque omnibus sophistarum (cf. 710. 716) artibus usi contionatores in animis excitant opiniones, eas quamvis vanas sequuntur, quo fere tendere

---

[35]) Fortasse cum Weilio pro τιμωμένῳ legendum est ἰωμένῳ, quod tamen genuinum esse non contenderim.

rhetorum artem concedit Aristoteles (Rhet. I, 1 τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τὰ ἔνδοξα).

Atque etsi non modo quam accurate et quam aperte Atheniensium vitam civilem in fabulas transtulerit, sed etiam quanta cum sinceritate quae ipse sentiret postposita fabulae ratione pronuntiaverit, ex ipsis quae attuli exemplis satis videtur elucere, unum tamen locum addam quo aptior ad Euripideam artem cognoscendam vix ullus invenitur. Suppl. enim v. 238 sqq.

τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι
ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεί·
οἱ δ' οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου
δεινοί, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλέον μέρος,
ἐς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά,
γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι·
τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σῴζει πόλεις,
κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις

civium distinguit tres partes quarum una contineantur optimates qui nullius rei nisi sui commodi rationem habeant eoque nihil prosint rei publicae, altera pauperes qui propter inopiam illis infestissimi cuiuslibet contionatoris arbitrio gubernentur, tertia qui inter haec contraria auream secuti mediocritatem firmissino rei publicae sint praesidio. Ad hanc autem partem quales pertineant homines, plane inlustratur illa quam supra laudavi boni civis descriptione (Or. 917 sqq.), in qua notanda sunt verba οἵπερ καὶ μόνοι σῴζουσι γῆν interposita, quo melius cognoscatur poëta quid ipse de hac re sentiat. Luculentissime igitur poëta, cum ex tribus illis civium generibus medium dicat se praeferre, profitetur favere se popularium partibus, sed eorum qui etiamtum sint incorrupti. Quorum numerum cum videatur aegerrime tulisse sub finem belli Peloponnesiaci esse admodum parvum, eo facilius intellegimus, quo consilio ductus contraria illa ingenia in Oreste civibus suis ante oculos posuerit. Atque debemus admirari quanta cum vi et arte ut in con-

tionis illa descriptione ita hoc quem modo laudavi loco varia civium ingenia depinxerit: at num ipsa illa ratio mores in aliam aetatem transferendi numque ratiocinandi et praecipiendi per quamlibet personam consuetudo severis artis tragicae legibus respondeat, de hac re iusto iure dubitatur. Sed haec hactenus: a Sophoclea arte tenendum est talia esse plane aliena.

Reversi ad propositum ad ea nos convertamus quae a singulis vitae civilis partibus in Sophocleis fabulis videntur esse repetita. De quibus ita instituam disputationem, ut primum de civitatis beneficiis, deinde de officiis verba faciam; cui divisioni omnia puto facile subiungi.

Ac primum quidem de contionibus pauca mihi sunt dicenda. Nam praeter illos locos quibus summa potestate Argivorum et Thebanorum contiones uti videntur singulae quaedam apud Sophoclem inveniuntur locutiones quae ab Atheniensium rebus contionalibus pendeant. Ita in Ant. 160 sq. locutio *σύγκλητον προύθετο λέσχην*, quamquam hoc loco non de contione sed de principum concilio agitur, ad consuetudinem illam videtur esse referenda qua sollemnibus contionibus (*κυρίαις*) opponebantur extraordinariae (*σύγκλητοι ἐκκλησίαι*). Nec minus suffragii illius quod ferebatur calculis (*ψήφοις*) nonnullis locis fit mentio: de quibus tamen aptius infra, cum de re iudiciaria mihi erit disputandum, verba fient, praesertim cum in contionibus satis constet a *χειροτονίᾳ* non recessum esse nisi cum ipsa contio quodammodo erat pro iudicio. Praeterea *Ἀχ. Σύλλ.* fr. 150

σὺ δ' ἐν θρόνοισι γραμμάτων πτυχὰς ἔχων
νέμ' εἴ τις οὐ πάρεστιν ὃς ξυνώμοσε

huc pertinet, quo si scholio ad Pind. Isthm. 2, 68 (*τὸ γὰρ ἀπόνειμον ἀντὶ τοῦ ἀνάγνωθι*) fides habenda est, scriba ille publicus videtur significari qui vocabatur *γραμματεὺς τῆς πόλεως* vel *τοῦ δήμου* et cui erat munus recitandi

acta publica quae ad rem pertinebant principe contionis iubente.

Atque haec paucissima et singulis locis dispersa quam paene evanescant prae continua illa ac splendida quae in Euripidis Oreste invenitur contionis descriptione quae omni ex parte ab Atheniensium moribus est repetita, nemo non videt. Nec minus longe in his rebus ab Aeschylea arte Sophocleam distare ex consideratione discimus orationis illius qua Danaus narrat, quomodo, ut supplices filiae exciperentur, suadente Pelasgo Argivorum populus decreverit: cui orationi cum multa insint notanda, integros rescribam versus (Aesch. Suppl. 605 sqq.)

ἔδοξεν Ἀργείοισιν οὐ διχορρόπως,
ἀλλ' ὥστ' ἀνηβῆσαί με γηραιᾷ φρενί·
πανδημίᾳ γὰρ χερσὶ δεξιωνύμοις
ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον·
ἡμᾶς μετοικεῖν τῆσδε γῆς ἐλευθέρους
κἀρρυσιάστους ξύν τ' ἀσυλίᾳ βροτῶν·
καὶ μήτ' ἐνοίκων μήτ' ἐπηλύδων τινὰ
ἄγειν· ἐὰν δὲ προστιθῇ τὸ καρτερὸν,
τὸν μὴ βοηθήσαντα τῶνδε γαμόρων
ἄτιμον εἶναι ξὺν φυγῇ δημηλάτῳ.
τοιάνδ' ἔπειθε ῥῆσιν ἀμφ' ἡμῶν λέγων
ἄναξ Πελασγῶν, Ζηνὸς ἱκεσίου κότον
μέγαν προφωνῶν μήποτ' εἰσόπιν χρόνου
πόλιν παχῦναι, ξενικὸν ἀστικόν θ' ἅμα
λέγων διπλοῦν μίασμα πρὸς πόλεως φανὲν
ἀμήχανον βόσκημα πημονῆς πέλειν.
τοιαῦτ' ἀκούων χερσὶν Ἀργεῖος λεὼς
ἔκραν' ἄνευ κλητῆρος ὡς εἶναι τάδε.
δημηγόρους δ' ἤκουσεν εὐπιθεῖς στροφὰς
δῆμος Πελασγῶν. Ζεὺς δ' ἐπικράναι τέλος.

Videmus igitur omnes Argivorum res civiles in iisdem versari formis quae Atheniensium rei publicae erant propriae. Neque enim penes regem procerumque senatum,

sed penes populum Argivorum summum est arbitrium cui ipse rex debet cedere (cf. 368 sq. 398 sqq. 484 sq. 698 sq.). Qui contione convocata (cf. 517 sqq.) cum persuaserit Argivis, ut deorum iram veriti supplices exciperent (615—620), per *χειροτονίαν* (604. 607. 621) fit *ψήφισμα* (608 sqq.), ut illae in publicum hospitium (*μετοικεῖν* 609) recipiantur: qui versantes in periculo non adiuverit, ei aqua et igni interdicatur (614). Ac tanta facilitate arripiunt id quod rex rogaverat, ut etiam *ἄνευ κλητῆρος* ad unum omnes tollant manus: quod revocandum est ad consuetudinem illam Atheniensium quam recte significat schol. ad h. l. *πρὶν εἰπεῖν τὸν κήρυκα· ἀράτω τὰς χεῖρας, ὅτῳ ταῦτα δοκεῖ.* Neque quisquam opinor dubitabit quin quae in scena agebantur aliquanto altius haeserint in spectatorum animis, si agnoscebant in fabulis eiusmodi res quae cotidie ipsis praesto essent quam si priscum rerum statum labore quodam mentis debebant repetere. Quo consilio adductus poëta expressam finxit Atheniensium contionis imaginem. Nihilo tamen minus Aeschylea ratio ab Euripidea quae eodem fere tendit longe aliena est. Primum enim cum Aeschylus simplicem praebeat narrationem et in qua exteriora tantum, ut ita dicam, sollemnibus Atheniensium vocibus significentur, ipsae autem et res et personae plane intra fabulam positae heroicae aetatis ingenio respondeant, Euripidem vidimus ipsam vitam civilem, factionum discordias, varia civium genera a sua aetate in heroica tempora transferre, ita ut pro simplici contionis descriptione evadat imago artificiosissime elaborata eius in qua civitas Atheniensium poëtae temporibus versabatur condicionis. Deinde Euripides eo audaciae progreditur ut narrationem interrumpat ratiocinationibus interpositis quibus suam sententiam spectatoribus commendet; quod ab Aeschyleae rationis quam supra adumbravi natura elucet esse alienum. Ne multa: Sophoclem certe videmus sinceritatis artis tragicae semper studiosum in talibus rebus sibi ipsum

frena iniecisse : quod a se impetrare Aeschylus videtur non potuisse, Euripides noluisse.

Iam vero ad Atheniensium iudicum et rei iudiciariae Sophocleas transeamus significationes. Ac primum quidem ad exteriorem ἡλιαίας formam quod attinet, iudices constat quotannis sortitione esse electos : sortitionem autem cum ante Clisthenis tempora nondum fuisse usitatam omnibus persuasum sit, et Inach. fr. 271 κυαμόβολον δικαστὴν et Meleagr. fr. 355 κυάμῳ πατρίῳ iusto iure Sophoclis aetati tribuitur. Nam Hesychii explicatio (κυάμῳ πατρίῳ· Σοφοκλῆς Μελεάγρῳ, ὡς καὶ τῶν Αἰτωλῶν τὰς ἀρχὰς κυαμευόντων. διεκλήρουν δὲ αὐτὰς κυάμῳ, καὶ ὁ τὸν λευκὸν λαβὼν ἐλάγχανεν. ἀνάγει δὲ τοὺς χρόνους, ὡς καὶ ἐν Ἰνάχῳ κυαμόβολον δικαστήν) multo probabilior est quam aliorum quorundam interpretatio longius repetita, qui cogitaverunt de ipsorum iudicum suffragio quod nonnunquam fabis latum esse quamvis incerta memoria traditur. Magis certe usitatum fuisse illud suffragium quod ferebatur calculis nemo negabit. Quae consuetudo a Sophocle nonnullis locis in heroica tempora est translata. Ita Ai. 448 sq. legimus

οὐκ ἄν ποτε
δίκην κατ' ἄλλου φωτὸς ὧδ' ἐψήφισαν :

in quae si diligentius inquirimus, duabus rationibus possunt explicari. Quarum altera eo spectat, ut ἐψήφισαν sit pro ἐπεψήφισαν, ita ut Atridae ἡγεμόνες τοῦ δικαστηρίου esse videantur qui iudices in suffragium mittant : altera ita comparata est, ut praepositione κατὰ per tmesin cum verbo ἐψήφισαν coniuncta activum κατεψήφισαν positum sit pro medio κατεψηφίσαντο, ita ut Atridae ipsi iudicum loco sint. Quarum explicationum cum neutra ad ipsam sententiam quidquam valeat, illam tamen equidem praefero, cum non laboret offensionibus quibusdam quibus haec est implicata. Nam primum mira locutio δίκην καταψηφίζεσθαι uno exemplo (Plat. Gorg. 515 E) non satis probatur; de-

inde de activi pro medio usu quae adferuntur Sophoclea exempla (μηχανᾶν Ai. 1037. ἐπισπᾶν 769. φέρειν OC 6. OR 590. El. 1088) haud magni opinor sunt momenti : nam in eiusmodi quarum formae omnibus Atheniensibus penitus essent insitae locutionibus rescribendis Sophoclem a sollemnibus formulis puto nunquam recessisse, praesertim cum verbi ψηφίζειν activi formae a medii in sermone iudiciali diligenter discernerentur. — Ad eandem Aiacis litem in v. 1135 tendit locutio κλέπτης ψηφοποιός quae potest revocari aut ad suffragatores quosdam qui in suffragiis ferendis dolose se gerebant aut ad praestigiatorum quoddam genus qui cum calculis uterentur ad suas hariolationes adpellabantur ψηφοπαῖκται, ψηφολόγοι, ψηφοκλέπται. Praeterea huc pertinet in Inach. fr. 260 vox κημὸς, qua teste schol. Ar. Eq. 1150 proprie significatur vasis illius viminei in quod in Atheniensium iudiciis iniciebantur calculi superior pars in formam infundibuli redacta.

Notione autem latioribus finibus circumscripta, quae tamen fluat ex illa primaria, vocabulum ψῆφος utitur in OR 607

μή μ' ἁπλῇ κτάνῃς
ψήφῳ, διπλῇ δὲ, τῇ τ' ἐμῇ καὶ σῇ, λαβὼν,

et in duobus Antigonae versibus, 60

εἰ νόμου βίᾳ
ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν

et 632 ὦ παῖ, τελείαν ψῆφον ἆρα μὴ κλύων . . . πάρει; Quibus locis ψῆφος prorsus est pro γνώμῃ : qui usus eo bene inlustratur quod uno loco invenimus ex contrario vocem γνώμη usurpatam, cum suo loco positum esset ψῆφος. Locutio enim γνώμην τίθεσθαι quam invenimus in Phil. 1448 nemo dubitabit quin profecta sit ex notione illius suffragii (ψῆφον τίθεσθαι Aesch. Eum. 735, alias ψῆφον φέρειν ib. 675. 680, αἴρειν 709).

Iam de ipsa in iudiciis actione pauca mihi sunt dicenda. Nam praeterquam quod quanta vis tributa sit apud

Athenienses iudiciis ex ipsis illis Thesei verbis quibus OC 594 profitetur nunquam se, i. e. Athenienses, causa incognita (*ἄνευ γνώμης*) iudicare, videtur elucere, complures apud Sophoclem inveniuntur locutiones a sermone iudiciali Atheniensium haud dubie repetitae, quarum usum, cum ipsa iudicia heroica aetate nondum essent exculta, ab Homeri loquendi usu necesse erat aut prorsus aliena esse aut procul recedere. Quas iam breviter enumerabo.

ἔλεγχος cum apud Homerum nihil valeat nisi „probrum, ignominia, ignavia", apud Sophoclem usurpatur pro arguendi et probandi ratione vel pro documento, cf. *εἰς ἔλεγχον ἐξιέναι* Phil. 98. Alet. fr. 92. *εἰς ἔλεγχον ἐλθεῖν* OC 1297, quasi adverbialiter usurpatur OR 603. Similiter verbo *ἐλέγχειν* significatur exprobrando arguere Ant. 260. 434, vel quaerere Phil. 338 (schol. *κρίνω, ἐρωτῶ*). OR 333. 783. El. 1353; verbo *ἐξελέγχειν* coarguere Ant. 399. Trach. 373. OR 297.

ἐγκαλεῖν cum notione arguendi invenitur OR 702. El. 778. Phil. 328. *ἔγκλημα* (quae vox sollemnis apud primos invenitur Sophoclem et Thucydidem) Trach. 361.

ἐπίκλημα OR 529

κατηγορεῖτο τοὐπίκλημα τοῦτό μου;

cf. 227 (gl. *κατέγκλημα, κατηγορία*).

κατήγορος est pro accusatore Trach. 814. *κατηγορεῖν* de crimine usurpatur OR 514. 529, de documento Ai. 907. *ξυνηγορεῖν* cf. Trach. 814 *ξυνηγορεῖς σιγῶσα τῷ κατηγόρῳ;* ubi haud dubie significatur consuetudo illa qua utrique litigantium in iudicio licebat patronos vel advocatos sibi arcessere (cf. Aesch. de f. leg. 184, al.).

Locutio *δευτέρῳ λόγῳ* in Phil. 49, quamquam hoc loco minime res est de iudicio, nescio an pendeat ab illo more quo in nonnullis causis utraque pars utebatur duobus *λόγοις* i. e. facultate bis loquendi.

Atque peculiare quoddam genus criminationum satis constat fuisse eas quae vocabantur *μήνυσις ἔνδειξις εἰσαγ-*

γελία. De quibus plura disputandi hic non est locus: immo nonnullas tantum res minutiores mihi in animo est memorare quae aliquatenus videantur cum iis cohaerere. Ad *μήνυσιν* enim quod attinet, si gravioris delicti parum liquebat quisnam esset in culpa, ei qui nomen illius delaturus esset praemium indicii (*μήνυτρον*) solebat proponi. Quo videntur spectare verba illa quibus ei qui interfectorem Laii delaturus sit Oedipus (OR 231) proponit *τὸ κέρδος*, i. e. iustum debitumque delationis praemium. *Ἐνδείξεως* autem quamvis tenue extat vestigium in OC 48, ubi verba *πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρῶ* cum Schneidewino ita sunt explicanda: (te non) prius (ex urbe expellam) quam ad populum rem detulero [eumque rogavero] quid faciam. Atque *εἰσαγγελίαν* constat esse adhibitam cum aliis criminibus deferendis tum [*ἐάν τις*] *ῥήτωρ ὢν μὴ λέγῃ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων χρήματα λαμβάνων καὶ δωρεὰς παρὰ τῶν τἀναντία πραττόντων τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων* (Hyperid. pro Euxen. 22 cf. 39. 47). Ac vel inde quod hac gravissima delationis forma Athenienses utebantur, satis apparet, quantum sceleris iudicaverint eum in se conferre qui in contione civibus suis prava suaderet. Confirmatur autem haec observatio nonnullis locis Sophocleis. Salus enim reipublicae quantopere pendeat a bonis consiliis de quibus nemo, praesertim qui ad gubernacula reipublicae sedeat, cives debeat celare, Creontem inducit exponentem Ant. 178 sqq.

ἐμοὶ γὰρ ὅστις πᾶσαν εὐθύνων πόλιν
μὴ τῶν ἀρίστων ἅπτεται βουλευμάτων,
ἀλλ' ἐκ φόβου του γλῶσσαν ἐγκλήσας ἔχει,
κάκιστος εἶναι νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ,

quibuscum si comparamus El. 1047

βουλῆς γὰρ οὐδέν ἐστιν ἔχθιον κακῆς

et Eriph. fr. 204 (cf. supra p. 39), hae sententiae videntur fluere ex patriae amore quo optimus quisque Atheniensium inflammatus aegerrime ferebat, quod spretis bonorum sententiis prava illa contionatorum consilia qui, ut Demosthenis

verbis utar, non tam τὰ βέλτιστα quam τὰ ἥδιστα dicere studebant, volgus toties sequeretur. Quae studia cum maxime aetate belli Peloponnesiaci floruissent, ubi debellatum est, illa quam modo tetigi lege coërcita sunt; quam constat non ante Euclidis archontatum esse latam.

Atque de peculiari quadam εἰσαγγελίας specie quae vocabatur εἰσαγγελία κακώσεως, infra pauca dicentur: hoc tamen loco unum adiciam quod cum εἰσαγγελίᾳ aliquatenus cohaereat. Civem enim Atheniensem, nisi cum (per εἰσαγγελίαν) reus erat δήμου καταλύσεως vel προδοσίας, aut cum publicanus pecuniam reipublicae debitam iusto tempore non persolverat, in vincla conicere non licebat, si modo tres vades (ἐγγυητὰς) dabat. Vadimonium autem cum heroicis temporibus nondum fuerit institutum, voces φερέγγυος (i. e. sponsor) in El. 942 et ἐχέγγυος (i. e. hoc loco sponsione alicuius fretus) in OC 284 quin a suae aetatis statu poëta mutuatus sit, nemo dubitabit.

Atque plura mihi dicenda sunt de capitalibus iudiciis quae nemo ignorat a ceteris antiquitus fuisse segregata. Priusquam autem de ipsis Atheniensium institutis verba faciam, quid heroicis temporibus iudicatum sit de rebus capitalibus, Goeckero duce qui p. 46 sq. et 51 sqq. fusius de his rebus disputavit paucis adumbrabo.

De homicidio enim inter omnes constat heroica aetate adeo non publice esse iudicatum, ut contra cognatorum et familiae interfecti fuerit poenas domestici sanguinis ab homicida expetere (cf. El. 245 sqq.). Qui aut multam ab eo exigebant aut in exilium eum cogebant abire. Itaque inde quod de supplicio ab homicida sumendo nemo tum videtur cogitasse (Thuc. III, 45, cf. Eur. Or. 512 sqq.), homicidium satis apparet heroicis temporibus nondum tam nefarii sceleris loco fuisse quam quantum postea Graeci id esse existimaverunt: qui non modo ipsum homicidam putabant caede esse inquinatum, sed quorumcunque hominum uteretur consuetudine et quaecunque loca intraret, haec

non minus contaminari. Quare factum est, ut, quamquam etiamtum homicidae persecutio ut sacrum officium cognatis hominis occisi erat propositum, ipsa „civitas, quae universa illo scelere esset polluta, poenae a maleficis repetendae potestatem sibi ipsi vindicaret". Piaculi igitur et expiationis, quae res apud Homerum nusquam significantur, prima inveniuntur vestigia apud Hesiodum et Arctinum (Goecker p. 53). Posteriore autem aetate cum ab aliis tum a tragicis poëtis et contaminatio illa homicidio concepta et expiatio quae homicidae sit subeunda, heroicis temporibus saepissime tribuuntur. Ac Sophocleos qui huc pertinent locos Goecker p. 53 congessit : adicere potuit OC 944 sq. et OR 656 sq. ubi quamvis dubia lectione *ἄγους* tamen notio manet. Quam accurate autem suae patriae instituta imitatus sit, nullo loco luculentius perspicitur quam OR 236 sqq.

τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς
τῆσδ', ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
μήτ' ἐσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινα,
μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι μήτε χέρνιβας νέμειν,
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας, ὡς μιάσματος
τοῦδ' ἡμὶν ὄντος

(cf. 817 sqq.

ὃν μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινι
δόμοις δέχεσθαι, μηδὲ προσφωνεῖν τινα,
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων),

quae quam prope accedant ad legem illam Draconteam quam exhibet Demosth. Lept. 158 *χερνίβων εἴργεσθαι τὸν ἀνδροφόνον, σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς* (cf. Antiph. VI, 4. Lys. VI, 52. XII, 99. Dem. Androt. 78) nemo non videt. Atque consideranti totam illam Oedipi orationem cui non venit in mentem *προρρήσεως* illius qua reo[36])

---

[36]) Sic enim equidem locum cuius interpretatio adhuc versatur in

sollemniter solebat denuntiari, ut cum omnia loca publica tum forum et templa frequentare vitaret, ne caedis contagio alii inficerentur (*προαγορεύειν εἴργεσθαι τῶν νομίμων*)? Quod poëtae animo esse obversatum praeter universam orationis formam quasi sollemnem probatur locutione *προφωνῶ* (in v. 223) qua ipsa *πρόρρησις* instituitur.

Atque cum apud Homerum viderimus nusquam de rebus capitalibus publice, i. e. a rege et principibus, nedum a certis magistratibus esse iudicatum, Athenis fama ferebat ipsis antiquissimis temporibus praeclarum illud Areopagi iudicium extitisse, cuius rerum capitalium semper fuisset propria iudicatio. Itaque Sophoclem quod OC 947 sqq. ubi Creontem haec facit Theseo exprobrantem

τοιοῦτον αὐτοῖς Ἄρεος εὔβουλον πάγον
ἐγὼ ξυνῄδη χθόνιον ὄνθ᾽, ὃς οὐκ ἐᾷ
τοιούσδ᾽ ἀλήτας τῇδ᾽ ὁμοῦ ναίειν πόλει

Areopagum fingit iam aliquanto ante Thesei aetatem extitisse, antiquiorem [37]) famam Atticam sequi non ita mirum est : nam saepius occasione oblata similia in fabulis tetigit. At quod hoc loco Areopagus non tam iudicio capitali fungitur quam regimen morum videtur obtinere, haec certe magna est temporum commutatio : nam ea dignitate, ut esset *φύλαξ τῶν νόμων καὶ ἐπίσκοπος πάντων*, Solonis demum temporibus Areopagum esse instructum quis est qui nesciat?

Atque quamquam, si respicimus auctore Ephialte illam morum custodiam Areopago esse ademptam, locus ille Sophocleus a poëtae temporum statu videtur abhorrere, in eo tamen non offendendum est. Nam primum poëtam, cum vult significare aliquod rei publicae institutum, minime necesse est certi cuiusdam temporis respicere statum qui

---

controversia censeo esse explicandum, ut verbis *τὸν ἄνδρα . . τοῦτον* cet. ipse parricida ac non occultator parricidii significetur.

[37]) Recentiorem de Areopagi institutione famam primum Aeschylum in Eumenidibus litteris mandasse bene monet Schoemann Gr. Alt. I[3], 493.

facile possit mutari. Deinde postquam Areopagi potestas ab Ephialte extenuata est, ne tum quidem hoc iudicium desinebat permagni aestimari idque non modo propter vetustatis gravitatem sed quia ex iis compositum erat qui archontatu functi erant. Accedit quod praeter capitale iudicium minora quaedam munera Areopago servabantur, ex quibus memoro administrationem cultus Furiarum, quo, cum Eumenidum sacrum ab Oedipo videretur esse violatum, non minus fortasse spectant illa verba (OC 947 sqq.), et curam olearum Minervae sacrarum (μοριῶν), quod unum ex tribus illis patriae ornamentis OC 694 sqq. chorus summis laudibus extollit[88]).

Atque ad Areopagi iurisdictionem quod attinet, satis constat minime de omnibus rebus capitalibus Areopagitas iudicasse, sed de caedibus tantum consulto perpetratis (φόνος ἑκούσιος): de caedibus autem factis aut ab inscientibus (φόνος ἀκούσιος) aut ab iis qui vi vim inlatam defenderant (φόνος δίκαιος) et peculiaria iudicia et certas pro facinoris gravitate poenas fuisse institutas. Quam scelerum poenarumque distinctionem quamvis subtilem Sophoclem videmus in fabulas suas saepius transtulisse. Primum enim quamquam capite sancitum erat, si quis consulto aliquem interfecisset, reo tamen licebat post primam actionem abire exulatum, ita ut duae illius caedis poenae, aut supplicium aut ἀειφυγία, constitutae esse viderentur. Ita is qui Laium regem interfecerit ab Apolline Delphico aut capitis aut exilii damnatur, cf. OR 99 sqq. ubi Oedipo roganti ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς ξυμφορᾶς; respondet Creon

[88]) Sophocles accurate se adplicat ad famam illam inveteratam (cf. Her. 5, 82) qua Athenienses putabant primam in Attica oleam eamque ultro progerminasse. Epitheton παιδοτρόφος (OC 701, cf. Eur. Ion. 1480) nescio an pendeat ab illa consuetudine qua partus editi genus virile corona oleagina ad postes ostii deligata vicinis solebat indicari (cf. Hesych. s. v. στέφανον ἐκφέρειν).

ἀνδρηλατοῦντας, ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν,

quibuscum cf. 241 sqq. et 308 sq.

εἰ τοὺς κτανόντας Λάϊον μαθόντες ἢ
κτείναιμεν, ἢ γῆς φυγάδας ἐκπεμψαίμεθα,

quod consilium Thebanorum de Laii caede sententiae respondet: nam donec, quomodo facta esset Laii caedes, parum liquebat, consulto omnes putabant ab inimicis facinus esse perpetratum. Deinde si quis fortuito quem interfecerat, eum constat esse relegatum in certum temporis spatium reversoque subeundam fuisse expiationem. Quae res etsi ipsae nullo loco apud Sophoclem tanguntur, duo tamen extant loci quibus et in caedem fortuito factam et in quodvis facinus ab insciente commissum minus graviter esse animadvertendum expresse pronuntiatur. Deianiram enim, cum insciens Herculi coniugi venenum dederit, chorus his verbis consolatur (Trach. 727 sq.)

ἀλλ' ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ 'ξ ἑ κ ο υ σ ί α ς
ὀργὴ πέπειρα, τῆς σε τυγχάνειν πρέπει,

eademque Hyllus utitur illius facinoris excusatione 1122 sq., ubi a patre furente matrem studet defendere his verbis

τῆς μητρὸς ἥκω τῆς ἐμῆς φράσων ἐν οἷς
νῦν ἐστιν οἷς θ' ἥμαρτεν ο ὐ χ ἑ κ ο υ σ ί α.

Quae sententia in maius aucta invenitur Tyr. fr. 582

ἄ κ ω ν δ' ἁμαρτὼν οὔ τις ἀνθρώπων κακός.

Nec minus huc videtur pertinere oratio illa qua Oedipus a Creontis opprobriis studet sese defendere (OC 960 sqq.): cuius defensionis summa in eo versatur quod inscientem se et Laium patrem occidisse et Iocastam matrem demonstrat duxisse in matrimonium, cf. 974 sqq.

εἰ δ' αὖ φανεὶς δύστηνος, ὡς ἐγὼ 'φάνην,
ἐς χεῖρας ἦλθον πατρὶ καὶ κατέκτανον,
μηδὲν ξυνιεὶς ὧν ἔδρων εἰς οὕς τ' ἔδρων,
πῶς ἂν τό γ' ἄ κ ο ν πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις;

et 985 sqq.

ἀλλ' ἓν γὰρ οὖν ἔξοιδα, σὲ μὲν ἑκόντ' ἐμὲ
κείνην τε ταῦτα δυσστομεῖν· ἐγὼ δέ νιν
ἄκων ἔγημα, φθέγγομαί τ' ἄκων τάδε,

in quibus notiones ἑκὼν et ἄκων efficacissime videmus inter se oppositas. Quid autem ipse censeat inde esse concludendum, continetur v. 988 sqq.

ἀλλ' οὐ γὰρ οὔτ' ἐν τοῖσδ' ἀκούσομαι κακὸς
γάμοισιν οὔθ' οὓς αἰὲν ἐμφορεῖς σύ μοι
φόνους πατρῴους ἐξονειδίζων πικρῶς.

Ceterum caedis Laii excusationem praeter inscientiam in eo mox videbimus esse positam, quod φόνος ille fuit non modo ἀκούσιος, sed etiam δίκαιος. Nam si quis, cum vi vim inlatam defenderet, aliquem occiderat, ei neque poena inrogabatur neque expiatione opus erat. Quod disertis verbis poëta OC 546 sq. (cf. 525) Oedipum inducit profitentem

καὶ γὰρ ἄλοὺς ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα·
νόμῳ δὲ καθαρός, ἄϊδρις ἐς τόδ' ἦλθον,

eademque ratione Oedipus studet se purgare 270 sqq.

καίτοι πῶς ἐγὼ κακὸς φύσιν,
ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων, ὥστ' εἰ φρονῶν
ἔπρασσον, οὐδ' ἂν ὧδ' ἐγιγνόμην κακός;

et 992 sqq.

εἴ τίς σε τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
κτείνοι παραστάς, πότερα πυνθάνοι' ἂν εἰ
πατήρ σ' ὁ καίνων, ἢ τίνοι' ἂν εὐθέως;
δοκῶ μέν, εἴπερ ζῆν φιλεῖς, τὸν αἴτιον
τίνοι' ἄν, οὐδὲ τοὔνδικον περιβλέποις.

Similiter Electram videmus El. 558 sqq.

πατέρα φῄς κτεῖναι. τίς ἂν
τούτου λόγος γένοιτ' ἂν αἴσχίων ἔτι,
εἴτ' οὖν δικαίως εἴτε μή;

iustam caedem secernere ab iniusta: quae expositio ad praecedentem spectat orationem qua iusto iure Agamemnonem se occidisse Clytaemnestra conata erat demonstrare (cf.

525 sqq.). Atque Trach. 278 sq. quod Lichas, postquam de Iphiti caede rettulit, haec addit

εἰ γὰρ ἐμφανῶς ἠμύνατο,
Ζεύς τἂν συνέγνω ξὺν δίκῃ χειρουμένῳ,

sententia est haec fere, ut dicat, si Hercules digladiatus cum Iphito, i. e. se ab eo defendens, ac non insidiose eum occidisset, veniam caedis ut iustae ab Iove eum fuisse impetraturum.

Atque ut huius rei finem faciam, discriminum illorum quae postea apud Graecos inter diversa caedis genera vidimus fuisse constituta, in Homeri carminibus non modo nihil invenimus, sed uno exemplo Patrocli prorsus contrarium videtur probari (cf. Goecker p. 56 n. 2). Utut est, quin certam illam inter φόνον ἑκούσιον et ἀκούσιον et δίκαιον distinctionem ex suis temporibus poëta deprompserit, nemo dubitabit.

Neque minus ab heroicae aetatis simplicitate aliena est notio βουλεύσεως qua postea videtur significari impulsus ad caedem alicuius perpetrandam [39]). Atque cum antiquitus Athenis lege sancitum fuisse, ut auctor caedis eodem adficeretur supplicio atque ipse homicida [40]), Andocides (de myst. 94) testetur, cumque ne aliorum quidem quorumvis scelerum machinatores satis constet extra culpam fuisse, non mirum est in sermone iudiciali notiones βουλεύειν et χειρὶ ἐργάζεσθαι inveniri inter se oppositas vel potius iuxta positas. A quo loquendi usu Sophoclem elucet pendere, cum Trach. 807 Hyllum faciat dicentem

τοιαῦτα, μῆτερ, πατρὶ βουλεύσασ' ἐμῷ
καὶ δρῶσ' ἐλήφθης.

---

[39]) Altius hanc rem repetendi hic non est locus.

[40]) Quam legem transferri in heroica tempora Oedipi illa oratione (OR 224 sqq.) haud immerito ab iis quidem videtur dici qui v. 236 sqq. ad auctorem caedis ac non ad ipsum parricidam secuti Forchhammerum (N. Jahrb. 99, 513) censeant esse revocandos. Quibuscum me non consentire supra commemoravi.

Ant. autem 266 custos dicit potuisse se suosque socios iure iurando adfirmare

τὸ μήτε δρᾶσαι μήτε τῳ ξυνειδέναι
τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι μήτ' εἰργασμένῳ

quibuscum cf. Antiph. de chor. 16 διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν ἀποκτεῖναί με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον, ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι μήτε χειρὶ ἐργασάμενος (Dobr.; codd. ἀράμενος) μήτε βουλεύσας.

Atque summi supplicii tria erant genera quae in proverbium abiise praeter Suidae et paroemiographorum τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον, testatur Sophocles fr. 755 λύσω γάρ, εἰ καὶ τῶν τριῶν ἓν οἴσομαι, quo exemplo scholiasta ad Pind. Olymp. 1, 97 studet inlustrare, ὅτι τρία λέγεται κοινῶς καὶ τὰ πρὸς τὸν θάνατον συνεργοῦντα, ξίφος, ἀγχόνη, κρημνός[41]). Ex quibus gravissimum erat suspendium, id quod significatur cum nonnullis locis Euripideis tum Soph. OR 1374, ubi Oedipus dicit facinora quae in parentes commiserit esse κρείσσον' ἀγχόνης εἰργασμένα, i. e. tam atrocia et inaudita, ut ne gravissimo quidem supplicio expiari posse videantur. Sumebantur autem ab homicidis supplicia per carnifices, quibus XIvirorum apparitoribus Athenis sollemne nomen erat δήμιοι vel δημόκοινοι : quod munus fr. 869

οἷος γὰρ ἡμῶν δημόκοινος οἴχεται

ipsis heroicis temporibus Sophocles fingit extitisse.

Quoniam igitur de duabus rerum civilium partibus, de contionibus scilicet et de iudiciis, quantum ad propositum pertinet, disputavi, tertio loco de magistratibus pauca mihi sunt dicenda. Ac ne multa : quaecunque apud Sophoclem invenimus eius rei vestigia, ad poëtae ipsius tempora sunt revocanda. In heroicis enim regnis magistratuum nullus erat locus : immo omnibus quae postea diversis magistratibus deferebantur muneribus ipsi reges una cum principi-

---

41) Obiter memoro pro κρημνῷ alias inveniri κώνειον.

bus fungebantur. Itaque quod Sophocles, cum in animo habeat demonstrare tempore demum virtutem hominis spectari (cf. OR 614), hanc sententiam sic exprimit Ant. 175 sqq.

ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
ψυχήν τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἂν
ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ,

hoc sine dubio ex liberae reipublicae fluit ingenio, in qua unicuique civium facultas erat facta *ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισι* suam virtutem probandi. Similis sub Creontis illis verbis (Ant. 661 sq.)

ἐν τοῖς γὰρ οἰκείοισιν ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
χρηστός, φανεῖται κἀν πόλει δίκαιος ὤν

latet sententia : nam fingit si non omnibus tamen multis facultatem esse in rebus civilibus cum laude versandi. Praeterea locutio *οἱ ἐν τέλει* qua in Ant. 66. Phil. 385. 925 ii significantur penes quos summa in republica sit potestas, ad poëtae tempora videtur esse revocanda, quibus omnes magistratus illo nomine solebant comprehendi.

Atque magistratibus Atheniensium nemo ignorat anno exacto subeunda fuisse *εὔθυνα*, ita ut ad rationem pecuniae publicae revocati, si fraudis erant convicti, in ius vocarentur. Quem morem Sophocles in tragoediam illam quae inscribebatur Polyxena videtur transtulisse. Qua in fabula si respicimus actum esse de dissensione illa quam de exercitus profectione fama ferebat fuisse inter Agamemnonem et Menelaum (cf. Strabo X, p. 470), ex defensione Agamemnonis quae continetur fr. 470

οὐ γάρ τις ἂν δύναιτο πρῳρατὴς στρατοῦ
τοῖς πᾶσι δεῖξαι καὶ προσαρκέσαι χάριν·
ἐπεὶ οὐδ' ὁ κρείσσων Ζεὺς ἐμοῦ τυραννίδι
οὔτ' ἐξεπομβρῶν οὔτ' ἐπαυχμήσας φίλος,
βροτοῖς δ' ἂν ἐλθὼν ἐς λόγον δίκην ὄφλοι,
πῶς δῆτ' ἔγωγ' ἂν θνητὸς ὢν θνητῆς τε φὺς
Διὸς γενοίμην εὖ φρονεῖν σοφώτερος;

facile efficitur ei bello confecto, i. e. magistratu quasi deposito, rationem fuisse reddendam belli administrationis quae non sine vitio fuisse videbatur.

Atque ad singulos magistratus quod attinet, pauca mihi dicenda sunt de observatione quadam E. Curtii (Gr. G. II, 692 n. 40) quam Goecker p. 40 sq. repetere non dubitat. Agitur enim de explicatione vocis *στρατηγὸς* in Ant. v. 8, quam hoc loco satis mire usurpari nemo erit qui neget. Quem usum Curtius putat facillime explicari, si modo temporis quo Antigona primum docta sit ratio habeatur. Nam circa Ol. 84 maxime viguisse potentiam illam Periclis qua factum esset, ut Atheniensium respublica *λόγῳ μὲν* esset *δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή* (Thuc. 2, 65) : quae potentia cum constitisset in praetura (*στρατηγίᾳ*) quem magistratum prorogatione Pericles paene reddidisset perpetuum, evenisse, ut nullus gravior praetura esset magistratus. Hunc autem rerum statum illo loco in heroica tempora esse translatum, ita ut is qui summun in re publica teneat imperium vocetur *στρατηγός*. Atque de hac interpretatione ut, quid equidem sentiam, paucis comprehendam, mihi videtur minus apta esse. Sophoclem enim, quamquam multos Atheniensium reipublicae mores atque instituta ipsa heroica aetate fingit extitisse, tamen cognoscimus nunquam adeo certis servire temporibus, ut eiusmodi singulas res minime duraturas in fabulis imitetur. Praeterea valde dubito, num illius praeturae gravitatis ipsi aequales ea tenus sibi fuerint conscii, ut *στρατηγὸν* idem esse atque gubernatorem reipublicae persuasum haberent : immo nemo fere ex spectatoribus, cum audiverat in theatro illa verba (Ant. 8), talia opinor cogitabat. Quid ergo? Hoc florente Periclis imperio nemo fere intellegebat, defuncto Pericle extinctoque illo praeturae splendore quisquam videtur intellexisse? Reiecta igitur illa interpretatione, cuius ratio eadem fere est ac Schöllii similium coniecturarum in Ellendtii acquiescamus

explicatione quae ad ipsam rem se adplicat. Qui „bene“, inquit (Lex. Soph. II, 738), „sic Antigona Creontem [adpellat], ad quem Eteocle occiso imperium quasi tumultuarium delatum erat, minus illa quam chorus reverenter, apud quem βασιλεὺς χώρας audit in v. 155.“

Quoniam sermo est de στρατηγίᾳ, minutioris rei, quae cum hoc magistratu cohaereat, hoc loco faciam mentionem. Ai. enim 1232 sqq. poëta Agamemnonem inducit Teucro crimini dantem quod Atridarum detrectet imperium, his verbis

κοὔτε στρατηγοὺς οὔτε ναυάρχους μολεῖν
ἡμᾶς Ἀχαιῶν οὔτε σοῦ διωμόσω,
ἀλλ' αὐτὸς ἄρχων, ὡς σὺ φῄς, Αἴας ἔπλει.

Voces autem οὔτε στρατηγοὺς οὔτε ναυάρχους quasi sollemniter usurpatas non dubito quin poëta ex suae aetatis moribus repetiverit. Nam belli Troiani temporibus quid intererat inter στρατηγοὺς et ναυάρχους? Heroes enim suas quisque copias navibus advexerant iidemque bellum terrestre administrabant. Nihilo tamen minus coniunctionibus οὔτε—οὔτε duo imperii genera expresse discernuntur. Quod me quidem iudice explicari non potest nisi posteriorum temporum moribus adhibitis. Ac satis constat postea apud Lacedaemonios classium duces adpellatos esse ναύαρχους, cum Atheniensium et terrestribus copiis et navalibus praeessent στρατηγοί. Praeterea si respicimus Aiacem et Teucrum Ionicae gentis vel potius Atheniensium partes tueri[42]), contra Atridas Peloponnesi, quam poëta fuisse tum ipsum fingit Doricam[43]), esse quasi patronos, Teucer cum dixerit Atridas esse Ἀχαιῶν neque στρατηγοὺς neque ναυάρχους, his verbis Atridis voluit significare neque Ionicarum gentium neque Doricarum, i. e. nullum omnino deberi imperium : nam notione Ἀχαιῶν utrique continentur.

[42]) V. supra p. 21 n. 13.
[43]) cf. Goecker p. 17 sqq.

Similiter illas voces inveniri iuxta positas in Plut. Aristid. c. 23 obiter memoro.

Ac de tribus illis civitatis beneficiis quae consistebant in iuribus contionandi iudicandi honores petendi iisque quae ad ea pertinebant, quaecunque ex Sophocleis fabulis possunt elici omnia fere attulisse mihi videor: nunc, priusquam ad officiorum quae civibus Atheniensibus erant praestanda transeamus considerationem, pauca mihi disputanda sunt de ignominia illa (*ἀτιμίᾳ*), qua qui erat notatus non modo omnibus honoribus erat exemptus sed saepius omnino a republica exclusus. Cuius ignominiae inter omnes constat fuisse complures gradus quorum summus adferebat relegationem in perpetuum (*ἀειφυγίαν*) cum bonorum publicatione. Cuius poenae non minorem fuisse vim quam summi supplicii supra, cum de iudiciis capitalibus mihi erat disputandum, verbo monui. Ac Sophocleis exemplis illo loco adlatis addo OR 641

ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβών

et 699 sq.

κεἰ χρή με παντελῶς θανεῖν
ἢ γῆς ἄτιμον τῆσδ' ἀπωσθῆναι βίᾳ,

quibus locis de poena agitur sumenda ab Oedipo ut parricida : cf. OC 600 sq.

ἔστιν δέ μοι
πάλιν κατελθεῖν μήποθ', ὡς πατροκτόνῳ,

quibus ipse Oedipus profitetur se *ἀειφυγίας* esse damnatum. Neque minus quam in OR 670 *ἄτιμον ἀπωσθῆναι* in Phil. 1028 locutio *ἄτιμον βαλεῖν* ab relegatione illa quae manabat ex *ἀτιμίᾳ*, aliquid videtur pendere. Qui autem publice relegatus erat, eius nomen praeconis voce solebat pronuntiari : quo spectat vox *ἐκκηρύσσειν* quam invenimus in OC 430.

Atque quibus delictis summae ignominiae poena erat proposita, erant cum alia tum *κάκωσις τῶν γονέων*, quod maleficium in se admittebat qui filius victum praebere

(γηροτροφεῖν, γηροβοσκοὶ καὶ σύμμαχοι Xen. Oec. 7, 12 cf. Soph. Ai. 570) aut omnino debitam pietatem praestare parentibus aetate confectis recusaverat. Quae lex nescio an poëtae animo obversata sit, cum Polynicem induceret veniam petentem a patre antea expulso OC 1265 sq.

καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς
ταῖς σαῖσιν ἥκειν cet.

et interrogantem 1273 sq.

· οὐδ' ἀνταμείβῃ μ' οὐδέν; ἀλλ' ἀτιμάσας
πέμψεις ἄναυδος, οὐδ' ἃ μηνίεις φράσας;

iterumque petentem ut ille loquatur 1278 sq.

.... ὡς μή μ' ἄτιμον, τοῦ θεοῦ γε προστάτην,
οὕτως ἀφῇ με μηδὲν ἀντειπὼν ἔπος :

neque enim probabile est fortuito vocabulo ἀτιμάζειν et ἄτιμος ita iuxta esse posita. Atque parentium neglectio pro quanto facinore fuerit apud Athenienses, non modo ex poenae gravitate sed etiam inde facile cognoscitur, quod graviore quadam ratione quae vocabatur εἰσαγγελία κακώσεως eiusmodi causae ad iudices deferebantur, nec minus inde quod, si quis petebat magistratum, ab eo in δοκιμασίᾳ cum alia quaerebantur tum εἰ γονέας εὖ ποιεῖ. Quam parentium reverentiam cum apud multos scriptores [44]) tum compluribus locis Sophocleis aperte ostenditur rem esse maxime necessariam ad famam honestatis obtinendam. Ita El. 612 sqq.

ποίας δέ μοι δεῖ πρός γε τήνδε φροντίδος
ἥτις τοιαῦτα τὴν τεκοῦσαν ὕβρισεν,
καὶ ταῦτα τηλικοῦτος; ἆρά σοι δοκεῖ
χωρεῖν ἂν ἐς πᾶν ἔργον αἰσχύνης ἄτερ;

Clytaemnestra dicit, qui parentes iniuria adficere animum possit inducere, eum ad quodlibet facinus merito haberi audacem : cui sententiae ne Electra quidem audet repugnare, cf. 616 sqq.

---

[44]) Locos congessit Naegelsbach, Nachh. Theol. p. 275 sqq.

εὖ νυν ἐπίστω τῶνδέ μ' αἰσχύνην ἔχειν,
κεἰ μὴ δοκῶ σοι· μανθάνω δ' ὁθούνεκα
ἔξωρα πράσσω κοὐκ ἐμοὶ προσεικότα.

Similiter Ant. 742 Creon Haemonem compellat παγκάκιστε, quia audeat cum patre rixari (διὰ δίκης ἰὼν πατρί), et Trach. 1178 Hercules Hyllum monet ne obliviscatur νόμον κάλλιστον esse πειθαρχεῖν πατρί. Atque ut sermone liberi adversus parentes utantur modesto, monetur Acris. fr. 61. 62

ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα
πρὸς τοὺς τεκόντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει
ἄλλως τε καὶ κόρῃ τε κἀργείᾳ γένος,
αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη[45]).

Neque labores et pericula quae pro parentibus sint subeunda, liberis esse perhorrescenda Ismena memorat OC 508 sq.

τοῖς τεκοῦσι γὰρ
οὐδ' εἰ πονεῖ τις, δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν.

Immo liberos oportere patienter ferre parentes qualescunque sint (φέρειν τοὺς ὄντας εὐμενῶς Pseudo-Dem. epist. 3, 10), hoc videtur significari fr. 674a

ὅπου γὰρ οἱ φύσαντες ἡσσῶνται τέκνων,
οὐκ ἔστιν αὕτη σωφρόνων ἀνδρῶν πόλις :

quamquam iisdem verbis ipsi parentes videntur moneri, ut liberos ita studeant educare, ut libenter ipsis pareant. Eodem fere Creontis illa verba videntur spectare, quibus

---

[45]) In hoc fragmento ne id quidem omittendum est, quod Doricam illam βραχυλογίαν quae ipsius temporibus in proverbium abierat poëta fingit in omnium ore fuisse ipsa heroica aetate. Eodem spectat Ulix. fur. fr. 411

πάντ' οἶσθα, πάντ' ἔλεξα τἀντεταλμένα·
μῦθος γὰρ Ἀργολιστὶ συντέμνειν βραχύς (Goecker p. 19)

nec minus fortasse Alet. fr. 89

βραχεῖ λόγῳ καὶ πολλὰ πρόσκειται σοφά,

cuius tragoediae argumentum veri simile est fuisse depromptum ex Argivorum fabulis.

quantum intersit inter filios patri obedientes et immodestos, Haemoni studet persuadere (Ant. 639 sqq.)

οὕτω γάρ, ὦ παῖ, χρὴ διὰ στέρνων ἔχειν,
γνώμης πατρῴας πάντ' ὄπισθεν ἑστάναι.
τούτου γὰρ οὕνεκ' ἄνδρες εὔχονται γονὰς
κατηκόους φύσαντες ἐν δόμοις ἔχειν,
ὡς καὶ τὸν ἐχθρὸν ἀνταμύνωνται κακοῖς
καὶ τὸν φίλον τιμῶσιν ἐξ ἴσου πατρί.
ὅστις δ' ἀνωφέλητα φιτύει τέκνα,
τί τόνδ' ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὑτῷ πόνους
φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων;

Atque eiusmodi sententiis eo probabilius est poëtam voluisse ad ipsos cives suos se convertere, quod sophistarum perniciosis studiis scimus factum esse, ut parentium reverentia paulatim inciperet minoris aestimari (cf. Xen. Mem. 3, 5, 15. Ariston ap. Stob. 79, 44. Naegelsbach Nachh. Theol. p. 278 sq.).

Atque exemptus erat de parentium cura, si cuius filii liberalis educatio ab illis erat neglecta. Itaque Athenis quamquam minime Lacedaemoniorum more omnes publice educabantur, tamen, cum sui ipsorum gratia parentes cogerentur liberaliter filios educare, ut suos quisque filios quam optime curaret erudiendos, publice erat cautum (cf. Plato Crit. 50 D). Eiusmodi autem eruditio non modo ab heroicae aetatis indole plane aliena est, sed Athenis de subtiliore mentis eruditione non prius poterat cogitari quam sophistarum doctrina latius est propagata. Itaque inde a Periclea maxime aetate si quis summam virtutem studeret adsequi, praeter bonam indolem eï opus esse accurata mentis eruditione optimus quisque civium sibi erat conscius. Tantum autem aberat, ut prae mentis eruditione corporis cura neglegeretur, ut contra virtute bellica Athenienses nulla Graeciae natione merito gloriarentur se esse inferiores. Qua de re elatum spirat animum praeclarae illius laudationis funebris ea pars qua Pericles suae patriae

statum cum rebus Lacedaemoniorum comparat (Thuc. 2, 38—41, quibuscum cf. Isocr. paneg. § 50). Neque apud tragicos desunt loci quibus aut, quanta vis insit mentis eruditioni, demonstretur aut excultae eius formae ipsi heroicae aetati tribuantur. Ita Sophocles Cam. fr. 304[46])

ὅστις νέος ὢν μουσῶν ἀμελεῖ
τόν τε παρελθόντ' ἀπόλωλε χρόνον
καὶ τὸν μέλλοντα τέθνηκε

iuvenes videtur monere, ut artium liberalium quam maxime sint studiosi. Similis inest sententia Phthiot. fr. 622

νέος πέφυκας· πολλὰ καὶ μαθεῖν σε δεῖ
καὶ πόλλ' ἀκοῦσαι καὶ διδάσκεσθαι μακρά.
ἀεί τι βούλου χρήσιμον προσμανθάνειν.

Maxime autem huc pertinet fr. 779

ἐπεὶ πέπρακται πᾶν τὸ τοῦ θεοῦ καλῶς,
χωρῶμεν ἤδη, παῖδες, ἐς τὰ τῶν σοφῶν
διδασκαλεῖα, μουσικῆς παιδεύματα.
προσλαμβάνειν δὲ δεῖ καθ' ἡμέραν ἀεί,
ἕως ἂν ἐξῇ μανθάνειν βελτίονα.
παῖς δ' ὢν κακὸν μὲν δρᾶν τι προῖκ' ἐπίσταται,
αὐτὸς παρ' αὑτοῦ μανθάνων ἄνευ πόνου·
τὰ χρηστὰ δ', οὐδ' ἢν τὸν διδάσκαλον λάβῃ,
ἐμνημόνευσεν, ἀλλὰ κέκτηται μόλις.
ταῦτ' οὖν φυλαξώμεσθα, καὶ μοχθητέον,
ὦ παῖδες, ὡς ἂν μήτ' ἀπαιδεύτων βροτῶν
δοκῶμεν εἶναι κἀποδημοῦντος πατρός,

quae prorsus repetita esse ab ea quae poëtae ipsius temporibus Athenis vigebat eruditionis ratione luculentissime patet. Nam verbis τὰ — παιδεύματα (v. 2 sq.) expresse significantur grammatistarum sophistarumque scholae quorum institutioni pueri et adulescentes Atheniensium solebant committi. Neque id neglegendum est, adulescentes, ut

---

[46]) Hoc fragm. Nauck et Dindorf in ed. V Euripideis fragmentis adscripserunt sub. n. 927.

artibus liberalibus studeant, moneri ea de causa, ne aut incultis parentibus oriundi esse aut absente (i. e. fortasse exulante) patre neglegi videantur. Quae sententia quid sibi velit manifestum est : nam liberorum iusta eruditio apud Athenienses eiusmodi erat res, in qua cuiusque ageretur existimatio. Atque quamquam verba illa Sophoclea concedendum est aliquid sapere sophistarum illius Socratisque doctrinae qui virtutem ut scientiam doceri posse contendebant, multum tamen afuit, ut tam aperte ille hanc doctrinam proclamaret quam Euripides quem sciamus multo magis pendere a sophistarum studiis. Qui Suppl. 911 sqq.

τὸ γὰρ τραφῆναι μὴ κακῶς αἰδῶ φέρει·
αἰσχύνεται δὲ τἀγάθ' ἀσκήσας ἀνὴρ
κακὸς κεκλῆσθαι πᾶς τις· ἡ δ' εὐανδρία
διδακτὸν, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.
ἃ δ' ἂν μάθῃ παῖς, ταῦτα σῴζεσθαι φιλεῖ
πρὸς γῆρας· οὕτω παῖδας εὖ παιδεύσετε

cum civibus studeat persuadere accurata mentis eruditione utique opus esse, disertis verbis demonstrat *εὐανδρίαν* esse *διδακτόν*. Atque hanc ratiocinationem ab ipsa fabula alienam ut adaptet sententiarum continuationi, adeo non dat operam, ut etiam extrema verba prorsus ad spectatores dici videantur, ita ut vultu ad theatrum converso aut apto quodam gestu actorem vim eorum auxisse haud improbabile sit. Eundem fere Hec. 599 sqq.

ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;
ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
δίδαξιν ἐσθλοῦ· τοῦτο δ' ἤν τις εὖ μάθῃ,
οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν, κανόνι τοῦ καλοῦ μαθών

habent sensum : nam sicut illic de *εὐανδρίᾳ* tanquam *διδακτῷ* ita hoc loco de *διδάξει ἐσθλοῦ* est sermo. Atque haec duo videntur sufficere exempla ad Euripidis proprietatem denuo significandam.

Ac si accuratius versamur in singulis rebus examinan-

dis, quod Sophocles in Electra Orestis illum inducit paedagogum, ne id quidem cum heroicae aetatis moribus videtur concinere. Nam etsi apud Homerum nonnunquam legimus regum filiis spectatos viros nobili loco natos tanquam rectores et gubernatores fuisse praepositos, ille tamen mos quo servus aliquis fidelis pedisequi puerorum munere fungebatur ad posteriora certe tempora referendus est.

Verum ut eo redeat unde deflexit oratio, capitis illi deminutioni (ἀτιμίᾳ) quasi contrarium erat, quod si qui magistratus vel senatores praecipue de re publica bene erant meriti, iis reddita ratione coronae aureae ut insignia laudis publice saepius tribuebantur[47]). Quod plerumque fiebat diebus festis et in theatro quo praeter urbanam civitatem magna paganorum multitudo solebat concursare. Unde videntur pendere Electrae verba El. 982 sq.

τώδ' ἔν θ' ἑορταῖς ἔν τε πανδήμῳ πόλει
τιμᾶν ἅπαντας οὕνεκ' ἀνδρείας χρεών

nec minus Haemonis qui Ant. 699 eam quae fratris corpus canibus et vulturibus sepeliendo eripuerit ἀξίαν esse dicit χρυσῆς τιμῆς λαχεῖν.

Quoniam igitur de civitatis beneficiis deminutione ornamentis quae opus esse visa sunt memoravi, de iis quae ad civium Atheniensium pertinent officia deinceps mihi est disputandum.

Ac primum quidem verba mihi facienda sunt de militia, cui cives universi, minus quam LX annos nati, obligabantur exceptis iis qui inutiles erant ad arma ac praeterea priore quidem aetate iis qui in quarta Solonis classe erant conscripti. Ac de militia equestri infra, cum de liturgiis

---

[47]) Quae consuetudo haud dubie cohaeret cum opinione illa qua in corona consecrationem quandam esse positam ab omnibus putabatur. Quo spectat quod praeter sacerdotes magistratus oratores, qui proficiscebantur oraculum petituri, et ipsi coronam sibi ad caput accomodabant quam post reditum demum solebant deponere: qua de re cf. Soph. OR 83. Trach. 178.

sermo erit, pauca mihi erunt dicenda. Hoc tamen unum hic memoro Sophoclem, cum OC 899 Theseum induceret populum suum, ut Creontis comites persequerentur, mittentem ἄνιππον ἱππότην τε, videri Atheniensium exercitus bipartitam divisionem ex sua aetate in antiquissimam transtulisse.

Florem autem et roborem cum omnium nationum Graecarum tum Atheniensium exercitus satis constat fuisse ὁπλίτας, cum ψιλοῖς priore quidem aetate omnino nullis uterentur, postea inde a temporibus fere bellorum Persicorum manus sagittariorum vel iaculatorum hoplitis adicere inciperent admodum exiguas : quae tamen multo minoris illis esse aestimatas vel inde facile apparet, quod aut ex pauperrimis civibus aut ex peregrinis mercenariis erant compositae, qui propter ipsam barbariem a Graecis despiciebantur. Atque de eo rei militaris statu quo hoplitis ingenuis oppositi sint expediti auxiliares poëta videtur cogitasse, cum scriberet OC 1524 sq.

ὥς σοι πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε
δορός τ' ἐπακτοῦ γειτόνων ἀεὶ τιθῇ,

ubi haud dubie voce ἀσπίδες hoplitae significantur quorum scuta constat arma fuisse propria : contra locutio ἐπακτὸν δόρυ ad leviter armatos videtur esse referenda : ἐπακτὸς autem idem est ac ξένος (cf. Ai. 1296. Trach. 259. Eur. Ion. 290. 592. Phoen. 342 al.). Praeterea locutio ψιλὸν ὄμμα (in OC 866) hoc loco memoranda est, quam cum Ellendtio (Lex. Soph. II, 978) simplicissime puto ita explicari, ut significetur oculus infirmus, non idoneus defensioni, a similitudine ψιλοῦ, i. e. levis armaturae militis. Quod ab Homerico loquendi usu cognoscimus abhorrere : in Homeri enim carminibus cum nihildum intersit inter ὁπλίτας et ψιλούς, vox ψιλὸς nihil valet nisi „nudus“ vel „glaber“ : quam notionem ad locum illum Sophocleum manifestum est non quadrare.

Atque ex barbaris illis gentibus quarum Athenienses utebantur auxiliaribus saepissime memorantur Cretes. Qui

omnibus temporibus cum celebrati erant ob egregium in arte sagittaria habilitatem tum famosi ob mores improbos naturamque fallacem (cf. Ai. 1295). Itaque cum et sagittarii et contempti essent, paulatim factum est, ut contemptus in ipsam artem sagittariam transferretur. Quo contemptu tantum processum est, ut vox *τοξότης* in maledictum prorsus videatur abiisse. Sophocles igitur quod Ai. 1120 sqq. sic facit Menelaum et Teucrum inter se altercantes

ΜΕ. *ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὸν φρονεῖν.*
ΤΕΥ. *οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην.*
ΜΕ. *μέγ' ἄν τι κομπάσειας, ἀσπίδ' εἰ λάβοις.*
ΤΕΥ. *κἂν ψιλὸς ἀρκέσαιμι σοί γ' ὡπλισμένῳ,*

illam quae sua aetate percrebruerat de sagittariis sententiam videtur repetere. Ceterum praeterquam quod, quid significet *τοξότης*, oppositis locutionibus *ἀσπίδ' εἰ λάβοις* (cf. quae supra dixi de OC 1524) et [*ψιλὸς*] — *ὡπλισμένῳ* satis clare indicatur, contemptus qui in illa voce erat positus eo videtur adauctus esse quod *τοξοτῶν* illorum vel *Σκυθῶν* facile spectatoribus veniebat in mentem qui servi publice alebantur ad disciplinam in urbe custodiendam. Heroicis autem temporibus minime contemptam fuisse artem sagittariam ex Homeri carminibus luculenter apparet. Nam non modo deos ut Apollinem, quem praesidem esse artis sagittariae ex multis eius cognominibus satis intellegitur, et Dianam, heroesque ut Herculem Merionem Philoctetam Teucrum, sed etiam singulas Graeciae gentes ut Locros, quibus praeest Aiax minor, comites Philoctetae, Paeonios videmus artem sagittariam proprie exercentes sine ullo contemptu, neque ex ceterorum heroum numero quisquam veretur occasione oblata hostem sagittis vexare: cui dummodo noceatur, omne telorum genus habetur honestum. Neque apud Sophoclem desunt loci quibus ad Homerum se adplicat: Phil. enim 1056 sqq. Ulixem et Teucri et sua ipsius arte sagittaria facit superbientem, Herculisque in ea

habilitas tangitur Trach. 266 et 512. Praeterea inveniuntur translationes ab arte sagittaria repetitae, ut OR 1196 sq. Ant. 1033[48]). 1084, quibus nullum subesse eius artis contemptum nemo non videt. Uno tamen loco Homerico vox τοξότης maledicti loco videtur usurpari : nam Λ 385 Diomedes Paridis sagitta vulneratus his verbis in eum invehitur

τοξότα, λωβητὴρ, κέρᾳ ἀγλαὲ, παρθενοπῖπα.

At eorum quae modo attuli, ut par est, habita ratione in hoc maledicto consistere contemptum artis sagittariae nemo opinor perseverabit : immo nihil nisi animus effeminatus mollitiesque Paridis, qui nullis armis nisi arcu possit uti, illis verbis acerbissime videtur irrideri. Quae explicatio si cui minus probabilis esse videtur, ne id quidem iniuria dixeris aliquid pendere illam sugillationem a poëtae ipsius temporum statu quibus firmato inter Graecos et barbaros nec minus inter hoplitas et leviter armatos discrimine ars sagittaria coeperit venire in contemptionem. Utut est, Sophoclis illi loco (Ai. 1120) volgarem subesse suorum aequalium de arte sagittaria opinionem nemo non concedet.

Sed cum, quantum profici posset eminus pugnando, in bello Peloponnesiaco Athenienses didicissent, increbrescente magis magisque hac pugnandi ratione factum est, ut maxime inde ab expeditione illa X milium a Xenophonte suscepta milites levis armaturae in Graecorum exercitibus tantidem fere aestimarentur quanti acies hoplitarum. Atheniensibus autem constat prima ex illius militum generis usu commoda redundasse victoria in Sphacteria insula a Lacedaemoniis reportata : quo ut levis armaturae milites mitterentur, Cleontem haud ignoramus perfecisse. Itaque quod Eur. Herc. fur. 188 sqq. occurrit abundantia quaedam laudum

---

48) Hoc loco non minus quam Trach. 266 de ea heroicae aetatis consuetudine videtur cogitari qua artis sagittariae certamen erat inter sollemnes ἀγῶνας γυμνικούς.

quibus sagittarius miles propter levem armaturam contra hoplitarum impedimenta et difficultates extollitur, haec verba non dubium est quin ex ipsius aetate repetita indolem poëtae spirent popularem. Eodem autem exemplo, quanto cum vigore Euripides res novas et quibus videatur aliquid profici soleat capessere civiumque curae commendare, amplissime inlustratur. Nam cum ex primis illius orationis verbis (188 sq.)

τὸ πάνσοφον δ' εὕρημα, τοξήρη σαγήν,
μέμφει· κλύων νῦν τἀπ' ἐμοῦ σοφὸς γενοῦ,

quibus ad rem maioris momenti animi praeparentur, tum ex ipsius argumentationis (190—203) copiositate haud obscure apparet poëtam id studere, ut spectatores huic rei qua omnes pariter adficiantur quam attentissimos praebeant animos. Enumeratis autem similiter atque in rhetorum suasoriis fiebat omnibus quae idonea esse videantur ad novam sententiam commendandam argumentis concluditur ratiocinatio (204 sq.) verbis

λόγοι μὲν οἵδε τοῖσι σοῖς ἐναντίαν
γνώμην ἔχουσι τῶν καθεστώτων πέρι,

quibus, ne, quid tota expositio sibi velit, quemquam fallat, ea quae modo sint disputata nova esse neque cum volgari opinione concinere expresse significatur. Ac si quaerimus quanam re feliciter gesta adductus sit Euripides, ut suum de nova pugnandi ratione iudicium tanto cum fervore promeret, mihi quidem maxime probabilis esse videtur coniectura Schenkelii qui (l. c. p. 507), id quod supra dixi, cogitavit de proelio illo Sphacteriensi. Nec tamen prorsus reicienda est suspicio G. Schmidtii[49]) qui „pugnam", inquit, „ad Delium commissam causam fuisse, cur Athenienses multum de arte sagittaria disceptarent, apud Thucydidem IV, 94. 95 legimus.... In illa enim pugna magnam vim levis

[49]) Gualterus Schmidt, Qua ratione Euripides res sua aetate gestas abhibuerit, in Heraclidis potissimum quaeritur. diss. Hal. Sax. 81 p. 23.

armaturae, qua Boeoti praestabant, exercitum Atheniensium, in quo fere nulli *ψιλοὶ* erant, fugientem summo damno adfecisse et paene ad interitum redegisse accepimus. Quam ob rem et cladem illam civibus explicat atque excusat Euripides et eos monet, ut milites aliter arment."
Quarum opinionum utra sit praeferenda, non satis potest diiudicari: specimen tamen illud esse artificiosarum illarum orationum quibus saepe studet Euripides nova quaedam civibus persuadere, id quod Sophoclem patet plane esse dedignatum, luce clarius est.

Atque ut quam de re militari institui absolvam disputationem, restat, ut paucas memorem voces quasi proprias quae ad bellandi rationem magis excultam quam quae heroicis temporibus erat usitata haud dubie sint referendae. Quo pertinet in Ant. 670 sq. locutio *προστεταγμένος παραστάτης* quod utrumque vocabulum rei militaris proprium usurpatur de adstantibus in acie, et in OC 94 *σημεῖον* (cf. *ξύνθημα* OC 46) *παρεγγυᾶν*, quae locutio spectat ad signum illud quod tessera datum ab imperatore per castra alius cum alio communicabat. Atque etsi vox *λόχος* in OC 1371, qua apud ipsum Homerum (*υ* 49) significatur armata manus, hoc loco nobis omittenda est, vocem tamen *λοχαγὸς* in Ant. 141 nescio an merito ad ipsius poëtae tempora referatur [50]).

Atque a pedestri militia ad cetera civium Atheniensium officia facillimus fit transitus instituta de munere equorum reipublicae causa alendorum (*ἱπποτροφίᾳ*) disputatione. Cui liturgiae ditissimi tantum cives obligabantur, ita tamen, ut non modo cum ad bellum proficiscebantur

[50]) Notissimi sunt quarti saeculi loci Isocr. 15, 117. Isae. 9, 14. Quinto praeter Arist. Acharn. extat Herod. 9, 21. Xenophonti hell. 1, 2, 3. Comment. 3, 4, 1, qui 4, 8, 8 adeo *ἁρμοστὴν* largitur sive Atheniensium sive Persarum, in talibus non nimium tribuo. His accedat Plutarchi *εἰς λόχον* de pugna Tanagraea Per. 10. Cim. 17 loquentis.

sed etiam in pace, praecipue ludis Panathenaicis Theseis funebribus, pompis variisque certaminibus de summi corporis virtute (εὐανδρίᾳ) armorumque bonitate (εὐοπλίᾳ) equitibus esset certandum. Quo equorum equitumque splendore cum maxime gauderent Athenienses, ne Sophocles quidem eius rei ratione habita civium animos delectandi praetermisit occasionem. Nam in praeclaro illo quo terrae Atticae celebrantur ornamenta carmine, praeterquam quod primo terra epitheto ornatur εὔιππος (OC 668, quod ad solum pagum Colonum, cui cognomen erat ἵππιος, vix puto esse referendum) v. 710 sqq.

χθονὸς αὔχημα μέγιστον,
εὔιππον, εὔπωλον, εὐθάλασσον.
ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν ἐς
τόδ' εἷσας αὔχημ', ἄναξ Ποσειδᾶν,
ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς

rei equestris magnificentiam summis laudibus extollit. Atque Atheniensium equitatum velocitate omni laude maiorem esse ipse Theseus merito elatus videtur profiteri, cum de iis qui Creontis comites insequantur, in hunc modum loquatur (1023 sq.)

ἄλλοι γὰρ οἱ σπεύδοντες, οὓς οὐ μή ποτε
χώρας φυγόντες τῆσδ' ἐπεύξωνται θεοῖς,

quibuscum cf. chori haec verba (1065 sqq.)

ἁλώσεται· δεινὸς ὁ προσχώρων Ἄρης,
δεινὰ δε Θησειδᾶν ἀκμά.
πᾶς γὰρ ἀστράπτει χαλινὸς, πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατὰ
ἀμπυκτήρι' ⏑⏑⏑–
ἄμβασις, οἳ τὰν ἱππίαν
τιμῶσιν Ἀθάναν cet.

Quae omnia quamquam suo loco ab ipsa fabulae ratione minime recedunt, a spectatoribus facile intellegebantur perinde ac si in ipsorum aetatis favorem essent dicta. Praeterea in celeberrima illa paedagogi de cursu equestri

narratione quae continetur El. v. 680 sqq.[51]), quod inducit inter certantes unum qui est Ἀθηνῶν τῶν θεοδμήτων ἄπο (707), qui, ut est δεινὸς ἡνιοστρόφος (731), in extremo periculo summa utitur animi praesentia, hoc minime fit fortuito, sed eo consilio, ut Athenienses sua in equis agitandis habilitate ceteris Graeciae gentibus ostendantur esse superiores.

Quando autem sermo est de illo certamine equestri, ab hoc loco non alienum esse videtur de communibus illis omnium Graecorum certaminibus pauca commemorare. Quorum quaecunque apud Sophoclem inveniuntur vestigia, heroicae aetati plane sunt abiudicanda : nam illorum certaminum non prius erat locus quam in unam quasi nationem omnes Graeci coaluerant. Quo praeterquam quod El. 49 ab Oreste memorantur ἆθλοι Πυθικοὶ et 681 sq. paedagogus Orestem dicit esse profectum

ἐς τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος
πρόσχημ' ἀγῶνος Δελφικῶν ἄθλων χάριν,

nonnulli referendi sunt loci quibus mentio fit θεωρίας. Singularum enim Graeciae civitatum ad ludos illos spectandos conveniebant sacrae quaedam legationes publice

---

[51]) Ad hanc descriptionem poëtam adhibuisse colores ex sua ipsius aetate et fortasse ex iis quae ipse oculis conspexerat depromptos, evidenter apparet cum ex totius narrationis vigore tum ex singulis quibusdam rebus quae ad certas certaminum formas videntur spectare. Βραβῆς enim in v. 690 idem sunt atque ἀγωνοθέται qui victoribus coronas distribuebant. Quorum quasi apparitores erant κήρυκες, quibus nomina victorum erant pronuntianda (cf. 693 sqq.

Ἀργεῖος μὲν ἀνακαλούμενος,
ὄνομα δ' Ὀρέστης, τοῦ τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος
Ἀγαμέμνονος στράτευμ' ἀγείραντός ποτε,

quae ad sollemnem spectant nominis pronuntiationem), σαλπιγκταὶ quibus signum dandum erat ad currendum (cf. 711), ῥαβδοῦχοι vel ῥαβδοφόροι quibus ordo ac disciplina in stadio erat custodienda (cf. Trach. 515, ubi sermo est de singulari Herculis et Acheloi certamine, cui Venerem fingitur interfuisse : μόνα δ' εὔλεκτρος ἐν μέσῳ Κύπρις ῥαβδονόμει ξυνοῦσα).

missae, quae pro sua quaeque civitate aut sacra debita facerent aut oracula peterent. Quae consuetudo significatur OC 413, ubi Oedipo interroganti, unde de futuris Thebanorum rebus certior facta sit, Ismene respondet

ἀνδρῶν θεωρῶν Δελφικῆς ἀφ' ἑστίας,

et OR 114, ubi Creon cum Oedipo, ubi Laius sit occisus, communicat his verbis

θεωρός, ὡς ἔφασκεν, ἐκδημῶν πάλιν
πρὸς οἶκον οὐκέθ' ἵκεθ', ὡς ἀπεστάλη.

Nec minus eo videntur tendere chori haec verba (OR 897 sqq.)

οὐκέτι τὸν ἄθικτον εἶμι γᾶς ἐπ' ὀμφαλὸν σέβων,
οὐδ' ἐς τὸν Ἀβαῖσι ναὸν,
οὐδὲ τὰν Ὀλυμπίαν cet.

Quae hoc loco mihi licuit memorare propterea quod ἀρχιθεωρία, i. e. peregrinationis communis quae ex publica illa legatione paulatim facta est principatus quo saepe sumptus adferebatur haud exiguus in liturgiarum numero ab Atheniensibus erat positus.

Atque ex ceteris civium Atheniensium liturgiis nullius nisi γυμνασιαρχίας mihi mentio est facienda. Cuius muneris una tantum species accuratius memoriae est prodita, nempe cursus illa certamina in quibus cursores faces manibus tenebant : in quibus qui volebant versari, iis et alimentum et mercedem debebat praebere, qui liturgiam λαμπαδαρχίας susceperat. Quales pompae ducebantur diebus θεῶν πυρφόρων Minervae Vulcani Promethei (quem ipsum fama ferebat esse auctorem λαμπαδηδρομίας) festis et sollemnibus[52]). Quodsi OC 55 inter deos illos quorum fana in

[52]) Similes pompae in mysteriis Eleusiniis inveniuntur : quas tamen cum hac liturgia patet nihil cohaerere. Unde pendet nomen λαμπάδες ἀκταί, quo OC 1049 designatur sinus Eleusinii qua ad septentriones vergit ora vel campus Thriasius, in quo Eleusis erat sita (schol. ἀπὸ τῶν αὐτόθι ἐν τοῖς μυστηρίοις λαμπάδων). Ceterum mysteria hoc loco significari ex iis quae sequuntur satis elucet: quibus memorantur

agro Coloneo sint sita nominatur *πυρφόρος θεὸς Τιτὰν Προμηθεὺς*, cognomen *πυρφόρος* aliquid certe ex illa re videtur pendere, praesertim cum ab ipsa illa ara Promethei quotannis eiusmodi pompam collucentibus facibus ductam esse Pausanias (I, 30) auctor sit. Quam aram quae erat prope ad academiam Sophocles illo loco haud dubie significavit, ut omnino in OC. regionis naturam tam subtiliter depinxit, ut saepius scholiastis, ubi singula loca sita fuissent, non iam satis liqueret (cf. schol. OC 1595 *ταῦτα γνώριμα τοῖς ἐγχωρίοις;* in univ. cf. OC 54 sqq. 155 sqq. 900 sq. 1047 sq. 1059 sqq. quibuscum cf. Thuc. 2, 18. 1590 sqq.).

Ac de ceteris civium Atheniensium officiis hic non est locus verba faciendi, cum apud Sophoclem nihil inveniatur quod cum iis cohaereat.

Absoluta igitur de civium et beneficiis et officiis disputatione restat, ut unum breviter perstringam institutum in quo Atticae civitatis extra ipsos fines Atticos consistit translatio. Nam inde ex anno fere 506 constat increbruisse consuetudinem, ut in regiones expugnatas coloni vel agripetae (*κληροῦχοι*) deducerentur qui quamvis mutato domicilio Atticae civitatis manebant participes. Vox autem *κληροῦχος* quae in pedestri oratione nonnisi proprie usurpatur cum apud alios poëtas tum in Soph. Ai. v. 508 notione utitur latioribus finibus circumscripta, ita ut idem fere valeat atque „compos alicuius rei“ : quod mihi non erat omittendum ideo quod haec notio fieri non potuit quin ex illa primaria emanaret.

Atque haec quidem de publica civium Atheniensium condicione : de privatae autem eorum vitae parte gravissima, dico de negotiatione maritima, pauca nunc

---

σεμνὰ illa *τέλη* Cereris et Proserpinae (*ποτνιῶν*, cf. 683 *μεγάλαιν θεαῖν ἀρχαῖον στεφάνωμα*) : quibus qui sint initiati, iis clavi lingua quasi occlusa Eumolpidas antistites imponere taciturnitatem (cf. 1052 sq.).

mihi sunt adicienda. Quae cum ipsis Sophoclis temporibus maxime floreret, poëtam non mirum est virtutem rei maritimae quaeque cohaerent cum illa mercatura nonnunquam in fabulis tetigisse. Neque enim in carmine illo quo virtutes patriae sibi sumpsit celebrandas rei maritimae summa deest laus, cf. in v. 711 epitheton terrae *εὐθάλασσον* et fervidissima illa verba (616 sqq.)

ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα
θρῴσκει, τῶν ἑκατομπόδων
Νηρῄδων ἀκόλουθος.

Quibus sicut universa Atheniensium extollitur res maritima, ita eorum in bello navali virtutis quamvis tecta continetur laus exordio illius Salaminiorum cantici (Ai. 596 sqq.)

ὦ κλεινὰ Σαλαμίς, σὺ μέν που
ναίεις ἁλίπλακτος εὐδαίμων,
πᾶσιν περίφαντος αἰεί :

quae, praeterquam quod in Aiace vidimus saepius Salaminios confundi cum Atheniensibus, revocanda esse ad res Atheniensium evidenter apparet, si modo tantam Salaminis laudationem respicimus parum facile intellegi nisi ad victoriam Salaminiam quae Atheniensium classi debebatur verba referuntur. Atque quantum valuerit apud Athenienses res maritima, ipsa multitudine probatur illarum similitudinum quae cum apud multos poëtas tum apud Sophoclem inveniuntur vel ab ipso mari navibusque vel ab arte navali aut mercatura repetitae [53]) : nam cum illius quidem aetatis poëtae secuti Homerum adhibitis similitudinibus id studerent, ut quaeque res spectatoribus vel lectoribus magis pateret, consentaneum est eas esse repetitas ab iis vitae partibus, quibus usu cotidiano omnes essent exercitati. — Ex negotiatione autem maritima cum magnae pecuniae mercatoribus fierent, brevi evenit, ut divitiae summum in re

[53]) Sophocleas congessit Rappold in progr. quod inscribitur Die Gleichnisse b. Aesch. Soph. und Eur. part. II. Klagenfurt 1877. p. 15 sqq.

publica valerent. Quo qui tendunt loci Sophoclei, eorum supra, cum de generis nobilitate et de divitiis mihi erat disputandum, feci mentionem. Mercatorum autem, quibus propter vitam inquietam pecuniaeque aviditatem ipse non videtur favere, mores delineat Scyr. fr. 499

οἱ ποντοναῦται τῶν ταλαιπώρων βροτῶν,
οἷς οὔτε δαίμων οὔτε τις θεῶν νέμων
πλούτου ποτ' ἂν νείμειεν ἀξίαν χάριν
λεπταῖς ἐπὶ ῥιπῖσιν ἐμπολὰς μακρὰς
ἀεὶ παραρρίπτοντες οἱ πολύφθοροι
ἢ 'σωσαν ἀκέρδαναν ἢ διώλεσαν,

secutus sine dubio suae aetatis mores : antiquissimis enim temporibus Graeci mercaturae videntur fuisse non ita studiosi[54]). — Atque mercatoribus oppositi erant caupones (*κάπηλοι* vel *παλιγκάπηλοι*), quod genus et propter negotium illiberale (*βάναυσον*)[55]) et quia praeter varias merces in cauponis suis et potulenta divendebant et meretrices alebant satis constat in summa fuisse contemptione, ita ut nemo civis ingenuus ad tale negotium descenderet. Cuius rei duobus fragmentis Sophocleis fit mentio : fr. 756

ὠνὴν ἔθου καὶ πρᾶσιν, ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ,
Σιδώνιος κάπηλος

quo scholiasta ad Pind. Pyth. II, 125 Phoenices fuisse *παλιγκαπήλους* studet probare, et Phin. fr. 635

βλέφαρα κέκληταί γ', ὡς καπηλείου θύραι.

---

[54]) Quod tamen Mueller Aeginet. p. 75 apud Homerum, sicut *ἔμπορος* ipse nunquam mercatorem significet, ita dicit mercatores (*πρηκτῆρας*), ubi occurrant, barbaros vel saltem semibarbaros esse, hoc nimis abrupte iudicatum est : merito enim Nitzsch ad *θ* 159—164 monuit his verbis ipsorum Graecorum inter se commercium haud dubie significari. Quae si non ipsis heroicis poëtae certe temporibus sunt tribuenda, quamquam illud commercium voce *ἐμπορίη* apud primum demum Hesiodum (*ἔργ.* 644) significatur.

[55]) Contemptio illa quae in notione *βαναύσου* erat posita Ai. 1121, ubi Menelao qui artis sagittariae non sine ludibrio fecit mentionem Teucer respondet *οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην,* in heroica tempora videtur transferri.

Quoniam de privatae vitae partibus quibusdam sum disputaturus, hic locus haud incommodus esse videtur, quo de mulierum in fabulis Sophocleis condicione pauca fiant verba. Atque in Homericis carminibus concedendum est mulieres maiore uti dignatione quam quae posteriore aetate iis videtur esse tributa. Natura enim cum viris sint haud impares, adeo non etiamtum hominum commercio frui vetantur, ut contra in medio saepius versentur convictu humano, cum postea noverimus eas domi inclusas condicione si non servili, id quod Asiaticarum gentium erat proprium, indigna tamen et misera esse usas. Ita etiam apud Sophoclem invenimus Oedipum et Iocastam mutuo amore et quam maxima iuris aequitate coniunctos : quod maxime inlustratur OR 579 sq., ubi Creonti interroganti

ἄρχεις δ' ἐκείνῃ ταὐτὰ γῆς ἴσον νέμων;

Oedipus respondet

ἂν ᾖ θέλουσα πάντ' ἐμοῦ κομίζεται,

et 700 sq., ubi Oedipus cum uxore consultaturus de Creontis criminationibus eam compellat his verbis

ἐρῶ· σὲ γὰρ τῶνδ' ἐς πλέον, γύναι, σέβω·
Κρέοντος, οἷά μοι βεβουλευκὼς ἔχει :

quae si quis legerit, cui versuum illorum Homericorum non veniet in mentem quibus Areta apud Phaeaces quanta fruatur reverentia describitur (η 69 sqq.)? Eiusmodi autem sententiae ut Phaedr. fr. 608

οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἄν, οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον· παθὼν δ' ἕκαστος ὧν τύχῃ λέγει

aut fr. 679

τίς δ' οἶκος ἐν βροτοῖσιν ὠλβίσθη ποτὲ,
γυναικὸς ἐσθλῆς χωρὶς, ὀγκωθεὶς χλιδῇ;

aut fr. 680

κατ' ὀρφανὸν γὰρ οἶκον ἀνδρόφρων γυνή

(cuius rei apud Homerum Penelope est exemplar), nescio an a poëta ipsius temporum moribus non minus quam ab

heroica aetate pendeant: videntur enim ad rerum domesticarum tantum curam pertinere, quae sicut apud Homerum (cf. *Z* 490 sqq.) ita posteriore aetate propria mulierum erat provincia, quae ut quam optime administraretur, cuiusque mariti maxime intererat. Alienatio autem illa inter uxores et maritos tempore procedente adaugebatur, quo magis vigere incipiebat vita civilis. In qua cum posteriore aetate, quisquis erat vere civis, totus versaretur, domi nunquam fere moratus nisi cum tranquillum ad quietem petebat locum, mulieres, quae ab omni vitae publicae societate plane essent remotae, magis magisque neglegebantur atque contemnebantur. Quod autem Hom. *α* 356 sqq. ipse Telemachus cum omnibus mulieribus tum matri suae *παρρησίαν* videtur abiudicare, hoc postea in proverbium abiisse patet ex Soph. Ai. 293, ubi Tecmessa refert Aiacem sibi dixisse haec

βαί', ἀεὶ δ' ὑμνούμενα·
γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει,

quibuscum cf. quod supra p. 72 perscripsi Acris. fr. 61.

Quae cum ita essent, evenit, ut ipsa illa aetate qua cultu atque humanitate Atheniensium res publica inter omnes Graeciae civitates longe excellebat muliebre genus, ab illa qua pueri et adulescentes solebant informari eruditione plane exclusum eoque, quod ad mores excolendos pertinet, saepius neglectum, non modo non idoneum haberetur ad res civiles mente percipiendas, sed etiam ad morum pravitatem quasi natura propensum: quo pertinet proverbium illud quod Sophocles memoriae prodidit fr. 694

ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω.

Itaque cum nullam fere haberent utilitatem nisi ut et generis propagandi essent ministrae et virorum inservirent voluptati[56]), a civitate adeo erant segregatae, ut perraro vocarentur *πολίτιδες* (quae vox uno loco Sophocleo, in El. 1227, invenitur). Qua cum contemptione, quae erat quasi

---

[56]) cf. praeter exempla p. 22 n. 14 adlata Ant. 648 sqq.

legitima, earum in iure publico cohaeret condicio qua per totam vitam infantium instar nunquam sui iuris fiebant. Neque enim publice quid agere iis licebat nisi per tutorem quendam (*κύριον, ὀρφανιστήν,* cf. Ai. 512. 945), cuius utebantur patrocinio. Atque et uxoris et filiarum tutelam consentaneum est gessisse patrem familias (cf. OC 1041, ubi Theseus dicit

οὐχὶ παύσομαι
πρὶν ἄν σε τῶν σῶν κύριον στήσω τέκνων :

quo defuncto ad proximum gentilem transibat : quo fit, ut OC 830

οὐχ ἅψομαι τοῦδ' ἀνδρὸς, ἀλλὰ τῆς ἐμῆς,

quocum cf. in 833 verba

τοὺς ἐμοὺς ἄγω,

Creon cum specie quadam iuris contendat merito se abducere filias Oedipi, quo expulso et, ad ius civile quod attineat, quasi mortuo patria potestas ad se ut ad *κύριον* transierit.

Atque ad matrimonium quod attinet, primo loco monendum est perraro factum esse in Graecia, ut mulier per totam vitam permaneret in caelibatu : quod cum aliunde compertum habemus tum ex nonnullis locis Sophocleis, quibus in vita caelibe summam consistere miseriam haud obscure pronuntiatur (ut OR 1492 sq. cf. 1500 sqq. Ant. 812 sqq. 867. 876. 917 sq. cf. Eur. Hel. 283). Athenis autem quamvis a paucis tamen ab optimo quoque civium Sophoclis fere temporibus probabile est pluris aestimari matrimonium esse coeptum : nam prius ibi quam in ceteris Graeciae civitatibus sententia videtur obtinuisse qua matrimonium putabatur non solum contrahi ad ingenuum sanguinem propagandum, sed eo consilio, ut esset *κοινωνία παντὸς τοῦ βίου* (cf. Isocr. 3, 40 simil.). Quae tamen non poterat effici nisi maritus erat vir honestus, uxor autem prudens atque docilis. Nam ob id ipsum mulieres saepe indigna utebantur condicione, quia sponsis sui inter se propius inspiciendi nulla facultate facta pleraeque, cum nubebant,

vitae usus erant imperitae et vix sui compotes, ita ut initio certe de vero inter coniuges amore vix posset cogitari. Ipsius enim puellae in aliquem amoris perraro ratio videtur esse habita : quam graviter autem tulerint quod cuiuslibet potestati cogerentur se subicere, acerbissimo questu inlustratur Ter. fr. 517

νῦν δ' οὐδέν εἰμι χωρίς, ἀλλὰ πολλάκις
ἔβλεψα ταύτῃ τὴν γυναικείαν φύσιν,
ὡς οὐδέν ἐσμεν· αἳ νέαι μὲν ἐν πατρὸς
ἥδιστον, οἶμαι, ζῶμεν ἀνθρώπων βίον·
τερπνῶς γὰρ αἰεὶ πάντας ἀνοία τρέφει.
ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' ἔμφρονες,
ὠθούμεθ' ἔξω καὶ διεμπολώμεθα
θεῶν πατρῴων τῶν τε φυσάντων ἄπο,
αἱ μὲν ξένους πρὸς ἄνδρας, αἱ δὲ βαρβάρους,
αἱ δ' εἰς ἀήθη δώμαθ', αἱ δ' ἐπίρροθα.
καὶ ταῦτ', ἐπειδὰν εὐφρόνη ζεύξῃ μία,
χρεὼν ἐπαινεῖν καὶ δοκεῖν καλῶς ἔχειν.

Ceterum mulierum Atheniensium vita solitaria multum certe valebat ad pudicitiam illam conservandum qua virgines Athenienses longe distabant a Lacaenarum procacitate et lascivitate [57]). Quarum vestitus obscoenitas, cuius illarum vestes quibus omne corpus accuratissime tegebatur erant contrariae, significatur fr. 791

καὶ τὰν νέορτον, ἇς ἔτ' ἄστολος χιτὼν
θυραῖον ἀμφὶ μηρὸν
πτύσσεται, Ἑρμιόναν

non sine ludibrio : nam Lacaenae *φαινομηρίδες* abierant in proverbium [58]).

---

[57]) Quam acerbissime reprehendit Eur. Andr. 595 sqq.

[58]) Quoniam de mulierum rebus sermo est, obiter memoro uno loco Sophocleo videri morem illum breviter perstringi, quo omnes fere mulieres Graecas accepimus fucasse colorem : dico Hel. fr. 187

γυναῖκα δ' ἐξελόντες, ἢ θράσσει γένυν
χρῴζουσ' ἕωλον γραφίοις ἐνημμένοις.

Neque iniuria humili illa mulierum condicione dixeris factum esse, ut a naturali earum amore ad libidinem illam quae vocatur παιδεραστεῖν a Graecis aberraretur. Nam ipsa vita civili, qua fiebat, ut civis familiam et uxorem neglegeret, illud amoris genus alebatur atque augebatur, cum in gymnasiis potissimum amplissima offerretur eius commercii occasio, ex quo cupiebant haurire eam animi delectationem quam in uxoris consuetudine desiderabant. Atque viguisse ipsa heroica aetate illam libidinem Sophocles videtur finxisse in ludo satyrico qui inscribebatur Ἀχιλλέως ἐρασταὶ : cuius fr. 165

παπαῖ, τὰ παιδίχ', ὡς ὁρᾷς, ἀπώλεσας

eo pertinere testatur schol. Ar. Vesp. 1021. Nec minus eo spectat fr. 721

ὅτῳ δ' ἔρωτος δῆγμα παιδικοῦ προσῇ,

quod et ipsum ad illum ludum satyricum videtur esse referendum.

Reliquae duae commentationis partes (cf. p. 14), quarum in altera Wilamowitzii illa quam nuper protulit (Hermes XXII, 107. 211) de inquilinorum condicione sententia mihi non fuit omittenda, quominus nunc ipsum typis exprimantur, nihil obstat nisi quod limites usu praescriptos dissertationi tanto egredi nolui. Itaque quae restant primo quoque tempore aut ephemeridum philologarum alicui tradam aut gymnasii programmati adiungam.

Quae consuetudo inde fluxit, quod semper intra domum versantibus coloris bonitas facile evanescebat : quem studebant natura deficiente fuco mentiri. (Scripsi χρῴζουσ' ex coniectura G. Hermanni, cum tradita verba τε ὡς τοῦ μὲν nullum praebeant sensum.)

Corrigenda.

Pag. 19 lin. 7 lege p. 39 pro 40.
„ 39 „ 25 „ Eriph. pro Epigon.

VITA.

Rudolfus Becker Gernshemiensis natus sum a. d. XIV Cal. Mart. a. 1863 patre Gustavo, matre Paulina e gente Schaefer. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis in patria urbe imbutus autumno a. 1876 in gymnasium Darmstadinum receptus sum. Ubi tempore paschali a. 1883 maturitatis testimonium adeptus per unum annum stipendia feci. Deinde in universitate Monacensi per tria semestria in philologa studia incubui scholasque audivi virorum humanissimorum Christ Giesebrecht Prantl Schoell Woelfflin. Unde autumno a. 1885 Gissam me contuli ibique usque ad autumnum a. 1887 versatus interfui scholis exercitationibusque virorum humanissimorum Braune Oncken Philippi bar. a Ropp Schiller Schmidt Siebeck. Seminarii philologi sodalis fui ordinarius. Facultate docendi non. Mart. a. 1888 accepta Darmstadium me contuli, ut per annum legitimum docendi facultatem in gymnasio comprobarem.

Iam omnibus praeceptoribus meis, imprimis Philippio et Schmidtio, gratias ago semperque habebo quam maximas.

